VINDICIAE
AUGUSTINIANAE
AB IMPUTATIONE
REGNI
MILLENARII

AUCTORE

JOHANNE CADONICI

SACERDOTE VENETO.



CREMONAE TYPIS PETRI RICCHINI.

Superiorum permissu.

ANNO DOMINI MDCCXLVII.

Nolo auctoritatem meam sequaris, ut ideo putes tibi aliquid necesse esse credere, quoniam a me dicitur: sed aut Scripturis canonicis credas, si quid nondum quam verum sit vides, aut interius demonstranti veritati ut hoc plane videas. D. August. Epist. 147. alias 112. ad Paulinam de Videndo Deo n. 2.

VENERABILI
AUGUSTINIANORUM ORDINI

JOHANNES CADONICI SACERDOS VENETUS



Ondum tentatum opus, & quod tenuitati meae neque tentandum hoc saeculo videri poterat, eximiae sapientiae Vestrae, & in Ecclesiastica studia praeclarae eruditioni sisto, Patres ornatissimi, Divum scilicet Aurelium Augustinum doctissimum & fidelissimum Hipponensem Episcopum, Patrem vestrum, Magistrum meum a Millenariorum errore, ut spero, vindicatum. Ingrata Vobis, totique Christianae Reipublicae hujusmodi tentamenta accidere haud posse jam sentio: immo vero pro Vestra pietate Vos, & unà omnes, qui Doctoris Maximi famam, honoremque, ut decet, curant, Summum bonorum Largitorem jam postulatis, ut pusilli hominis in re tanta nisus nequaquam in cassum decidisse permittat.

His fortasse communibus votis annuens Divina Clementia, hanc mihi primum mentem injecit, ut in ea incidens, quae Augustinum afficiunt, commoverer; commotus dolerem; dolensque a Superno illo Lumine, Sancti Patris intercessione expeterem, ut si quid huic maculae delendae conferre posset, investiganti mihi suggerere dignaretur. Multa, fateor, quasi sponte occurrerunt. Num autem & illud meruerim ardentissimo in Sanctum Patrem studio, ut quaestionem istam tam haereticis commodam, quàm Catholicis arduam conficerem, vestrum erit judicium.

Deseritur equidem Augustinus a nostris, cum verba sermonis CCLIX. Editionis novae à verè errantibus haereticis objiciuntur in illius opinionis praesidium, qua ipsi visionem Dei Sanctorum spiritibus in diem differunt extremi judicii: & quamvis non desint plurima, quibus Eum recta sensisse probamus; pauca illa tamen satis sunt, ne constanti in hoc Augustini doctrina Ecclesiâ Romana glorietur. Nam & ii, qui ab hujus-

 smodi

modi imputatione Sancto Patri inflicta fortiùs percelluntur, illud veluti postremum effugium usurpare consueverunt (nec parum in hoc dicere existimantur) Augustinum scilicet Papiae quidem sectatorem, non verò Cerinthi in mille annorum terreno Christi Regno ad corporum resurrectionem Sanctis promittendo, fuisse.

Cerinthi profectò turpem sententiam nunquam Augustinum sectatum esse, ejusdem de cetero ingenua confessio probat lib. 20. cap. 7. de Civitate Dei, ultra ea, quae libro de Haeresibus n. 8. scripsit. Sed unde dessumptum sit fundamentum opinionis Papiae Augustino tribuendae, nondum inveni, cum Sanctus Pater nullibi Papiam nominet, nec ejus in hoc opinionem prodat; immo ex iis quae cap. IV. notavi, pateat, quòd si Papias ea sensit, quae eidem a Tournely Doctore Sorbonico in suo Cursu Theologico-Scolastico-Dogmatico (Tom. I. quaest. 12. art. I.) tribuuntur, longe diversa opinatus sit Augustinus. Verùm quandoquidem & illud probari posset, Augustinum cum Papia consensisse in terreno Christi & Sanctorum regno expectando, nunquam inde dessumi poterat, quòd etiam sermonem CCLIX. scripserit; cujus auctor non Cerinthi magis quàm Papiae opinionibus addictus inde apparet, quia nihil de qualitate corporalium deliciarum, quae Sanctis in eo regno affuturae sint, definiat. Illud equidem expresè doceri in eo sermone tum Monachi Congregationis Sancti Mauri sentiunt, tum Tournely, visionem nimirum Dei & beatitatem animabus Sanctorum interim in diem usque generalis resurrectionis praecludi, ex quo praecipuè capite Millenarii regni notam Sancto Patri inurunt. Utrum Papias in hoc consenserit, nihil adhuc satis certi profertur: Augustinum autem, postquam Christianae militiae nomen dedit, in hoc unquam errore versatum, constantissimè nego.

Quo fato evenerit, ut unum hunc sermonem, ex quo tot dicteriis ansa prodivit, nemo ex nostris in discrimen adduxerit, omnes autem in confitenda inde doctrinae macula potius quàm in abripiendo hoc opere Sancto Patri convenirent, quis divinare par sit? Praeclarum certè praeibat exemplum ab eodem Augustino sumendum, qui contra Donatistas loquens, Divi Cypriani Carthaginensis Episcopi Concilium, ejusque epistolam ad Jubajanum suis tuendis erroribus proferentes; de utroque non satis constare quód Cypriani esset, primò objiciebat. (Contra Crescon. Donatist. l. I. cap. 32.: & lib. 2. cap. 32. 33.)

Verùm ne id fieret, obfuit fortasse Monachorum Sancti Mauri celebris labor & cognita diligentia; obfuit insudantium qualitas & numerus; obfuit demum communis commendatio. Attamen, quantum mihi videtur, nec ipsi quidem homines ingenui & liberaliter instituti, in nihilo se errasse putarent; nec dictis suis adeo ceteros praesumunt adstringere, ut aliter sentire piaculum sit; immo nec diversam sententiam ab opinionibus suis respuerent, dum non ratio deesset, qua niteretur. Quare ego (verbis utor Augustini, quibus ad Cypriani auctoritatem sibi

oppo-

oppositam respondebat) (laudato lib. 2. cap. 32.) ea libertate, ad quam nos vocavit Dominus, eorum virorum, quorum laudem assequi non valeo, quorum multis scriptis mea scripta non comparo, quorum ingenium diligo; hoc, quod aliter sapuerunt, non accipio.

Diligentiore siquidem Operum Sancti Patris collatione factum est, ut non inani voce, sed robustissimis rationibus, opus illud inter Augustiniana immeritò commixtum evidenter appareat; in quibus scrutandis atque eligendis, me hallucinatum esse Divinam haud permisisse Misericordiam humiliter confido. Verâ namque Magistri mei intentione detectâ in textu libri XX. cap. 7. de Civitate Dei, (quem unum proferunt omnes ad hunc sermonem ipsi adjudicandum); detectâ insuper erroneâ nondum satis perpensâ sermonis doctrinâ omnino diversâ ab illa utcumque tolerabili, quam laudatus locus, eodem Augustino jam Episcopo definiente, continet: consequitur nullo fundamento tale opus Sancto Doctori adscriptum; cujus immo sententias expressè confundit ejusdem fidelis & Episcopalis doctrina, cui mirabiliter consonat illa, quae in suis libris ante praesbiteratum conscriptis elucet, tum illa, quam praesbiter initiatus & populo praedicavit, & novis libris inseruit; cui (absit verbo invidia) non satis attenderunt clarissimi viri, antequam suum Sirmondo conforme proferrent de hoc sermone judicium.

Quoniam verò in hoc opere Augustino abripiendo non consensui modò amplissimorum Monachorum obsistere necesse erat; verùm & Honorati Tournely Doctoris Sorbonici recentiorem confirmationem in loco mox citato (ab aliis etiam scriptoribus quasi iisdem verbis inconsultò transcriptam), de hac Augustinianae doctrinae labe avertere: quae multò pauciotibus absolvi potuissent, majori mole creverunt. Neque enim ea solùm, quae ex hoc sermone contra Augustinum nondum Episcopum dabantur, devincere opus erat; sed et communionem opinionis Papiae, quam ipse Augustino absque haesitatione affingit, confundere; immo Sanctum Patrem ab omnibus Millenariorum, quas ibidem commemorat, opinionibus, alienum ostendere: sed & iis non paucis insudandum fuit, quae ex genuinis Augustini operibus contra Augustinum, veluti alieno ore, adducit Doctor Sorbonicus; a quibus dilationem beatitatis sanctis separatis animabus usque ad resurrectionem carnis, Sanctum Patrem docuisse praetenditur. His enim quamvis Tournely ea reponat, quae fortasse inter catholicos ad purgandum ab hac sententia Augustinum satis possint videri; non eo tamen robore eorundem textuum sententias obscuras pertractat, ut vel diligentiores ex nostris suasi dimittantur; vel iis, qui foris sunt, ansa dematur confirmandi in Sancto Patre ejusdem erroris, inde scilicet, unde ille satagit hunc ab ipso divertere.

Id ex praeconceptis ejus sententiis praecipuè oriri cognovi, quibus fortè aliquid deperire arbitratus est, etiamsi, non se, sed Augustinum aliter sensisse monstrasset. Videns namque quòd pleraque loca, quae purganda sibi proponit, magis intimè perlustrata, vel beatitatem Sanctorum

ctorum ante Christum corporaliter passum, in sinu Abrahae docebant; vel quòd Angelicis creaturis juxta Augustini opinionem, corpus concedere opus erat, ut eadem ad Ecclesiasticum sensum in eo quod repromissiones fidelibus in divinis scripturis factas respicit, perducerentur: hac duplici difficultate perculsus, a diligentiori eorundem locorum consideratione abstinuit; abstinens autem, objectionem ex iisdem nascentem non confecit; immo notam negationis visionis Dei animabus sanctis ante corporum resurrectionem, inde Augustino ab adversantibus inflictam, non redemit.

Quisque tamen viderit, minus scrupuli inesse in iis tribuendis Sancto Patri, quàm in errore Millenariorum cum circumstantia recensitae negationis, eidem infligendo. Hoc namque expressè contra catholicam fidem est, non item illa; quorum alterum eruditionis caussam apud profundos & modestos rerum scrutatores non excedit; in altero vero si Tournely probare valebat errasse Augustinum, error ipse solutioni quaestionis ab adversantibus propositae favisset, ut de Sancti Hilarii Pictaviensium Episcopi similibus verbis, securè pronunciatum ab eo fuisse videbimus. Revera tam longe esset Augustinum unquam sanctis animabus post Christum passum mundo decedentibus beatitatem denegasse usque ad corporum resurrectionem; ut immo (quibuscunque demum adduceretur momentis) ipsam etiam Sanctis antiqui instrumenti ante Christi passionem, & mortem contulerit.

Caussam igitur Sanctissimi Magistri mei non uno titulo laesi, quantâ potui diligentiâ majori pertractans ego, talem in dicendo verborum castigationem sectari proposui; ut si veritas ipsa penitiùs rimata atque detecta alicui fortasse displiceret, ei primùm quae nihil timet, quàm mihi nimis infirmo irasceretur; nec meâ culpâ odium excresceret, quod proprio ambitu quisquam conciperet. De eo siquidem ab Apostolo praecipuè admonemur, ut docibiles simus (2. Timoth. 2. 24.); nec infimi hominis ministerium respuendum putatur a sobriis, quandoquidem ipsum consonet veritati; quae altissimâ providentiâ quibus vult utitur, & quomodo & quando vult.

Brevitati etiam, quantum res patiebatur consului, sciens non mole, sed rebus libros aestimandos. Ne autem aliquis contrarium me affectasse censeret, incidens in longas exscriptiones rerum a Tournely dictarum; quae cum Theologis obviae sint, superfluae primâ fronte videri possunt: admonendum duxi, me necessariò easdem retulisse, multis rationibus adductum. Primò ne mutilationis textus oriretur suspicio, dum aliquid, quod contradictionem redolet ex illius scriptis per me profertur; tum ut ex toto contextu vera intentio istius Doctoris emergat in divisione millenariorum; in eorundem sectatoribus dessignandis; in errore tribuendo Sancto Patri Augustino; in loco juxta suppositam veterum opinionem assignando animabus justis mundo decedentibus, & cetera hujusmodi, quae amplam labori meo materiam suppeditarunt, cujus non parva firmitas ex collatione procedit. Si

Si quis autem longioribus Sancti Patris auctoritatibus offenderetur, cogitet quaeso, has etiam non ad fastum inseri, dum eò quaestionis sumus, num Augustinus saltem praesbiter millenariis adhaeserit. Quamobrem ejus sententias exscribenti illud prae ceteris incumbit, ut eas diligentissimè scrutetur; & quandoquidem in ipsis verbum inveniat, quod veluti dubium ab adversariis inspici posset, ejusdem autem praeclariorem explicationem subsequentia sufficiant, operae pretium facit, dum totum contextum, etsi longiorem adducit. Datâ operâ abstinui a minutissima collatione rerum & verborum, quae in iisdem textibus catholicissimam Sancti Patris intentionem in subjecta materia luce clariùs ostendunt, tum legentium diligentiae ingenio & attentioni confisus, tum ne nimius evaderem. Contextuum verò transcriptioni tantò libentiùs indulsi, quia propriâ experientiâ jam didici, per totius contextus summam aliquod dictum in Sanctis Patribus, quod paucis propositis verbis, veluti culpabile apparet, perfectè sanari; indeque ab iisdem non modò omnem suspicionem averti; sed eorum rectam fidem divinamque sapientiam apertissimè commendari.

Absit tamen quòd veluti firmas atque tutissimas (quamvis commodiores) nunc stabilire velim sententias Sancti Patris de beatitate Sanctorum veteris instrumenti ante Christum carnaliter passum; tum illam de veritate corporis, quod Angelicis creaturis ipse saepissime tribuit. Has necessariò protuli, ut quomodo Augustinus explicandus sit in aliquibus obscuris locis, qui ipsi hîc objiciuntur, ii qui indigent intelligant; cùm dubium nulli esse possit, satius longe esse has opiniones suas dicere, dum per hanc concessionem ab errore purgatur, qui fidem in ipso destruit catholicam. Fortasse fiet, ut occasione data, profundius earundem examen Scolae suscipiant; & momenta pensantes quibus nituntur, amiciorem animum in illas intendant. Hoc magnum Sancti Patris nomen ab ipsis postulat, &, ni mea me fallit opinio, ejusdem allatae auctoritates ostendunt, ipsum de his articulis non obiter, sed post maturam considerationem verba fecisse; quod evidentiùs manifestaretur, si omnia quae apud ipsum inde colligi possunt, ratio praesentis operis congerere permisisset.

Unum igitur praecipuè cupio, ut omnes noscant, vera scripta Sancti Patris immeritò de errore millenariorum expostulata, in eo sensu qui negationem continet visionis Dei Sanctorum spiritibus usque ad suorum corporum resurrectionem; quod dum praestiterim, meo erga venerabilem Maximumque Magistrum sincero mentis obsequio, & vestrae expectationi fecisse satis laetabor.

Dabam Cremonae hac die XXVIII. mensis Augusti anno Domini MDCCXLVII.

CEN-

CENSURA.

Opus *inscriptum* Vindiciae Augustinianae ab imputatione Regni Millenarii: *Auctore Johanne Cadònici Sacerdote Veneto, (quod ex ordine Reverendissimi Patris Johannis Andreae Passani Inquisitoris Generalis Sancti Officii Cremonae legi) ne dum Authorem in Sancti Patris lectione versatum ostendit, verùm, quod semper fassa est Sancta Mater Ecclesia, Sanctum etiam Augustinum sensisse appositis evincit momentis. Quamquam dum omnibus numeris absolutum studet illud exhibere, Sanctum Patrem in aliquibus a communi Scholasticorum doctrina deviantem haud ineptè arbitretur. Certum tamen est sermonem CXXXVII. de Tempore, a quo ad ostendendam Divi Augustini constantiam de beatitudine Sanctis veteris testamenti dilatâ praecipua depromuntur argumenta, ab eruditis Lovaniensibus (in appendice n. 52.) Monachis Maurinis (in appendice nu. 160.) Natali Alexandre (Saeculo V. Hist. Eccl.) inter illius opera minimè recenseri; & quod de Angelis differitur, fuisse jam in Divum Augustinum a Melchiore Cano (de loc. Theol. l. 7. c. 3.) aliisque notatum. Quare etsi res ita se haberet, cùm doceate eodem Cano (loco citato) nil deperdat Patrum sanctitas & eruditio, si Patres ipsi a communi recedant sententia; insigniter hinc etiam vindicato Divo Augustino ab omni Millenariorum errore, ut in hoc opere abundè patet: censeo posse Typis mandari, ut tandem Dallaei, caeterorumque haetherodoxorum Divum Augustinum in hoc Fidei dogmate carpentium ora obstruantur.*

F. Hyacinthus M. R. Manuelli Ord. Praed. S. Off. Pro Vicarius, & Sacrae Theologiae Dogmaticae in Episcopio Cremonensi Lector.

CENSURA.

De *mandatò Reverendissimi Patris Magistri Johannis Andreae Passani Inquisitoris Generalis S. Officii Cremonae, legi Librum inscriptum* Vindiciae Augustinianae ab imputatione Regni Millenarii. *Auctore Johanne Cadònici Sacerdote Veneto, nihilque in eo reperi quod sit contra Sacram Scripturam vel Ecclesiae Catholicae definitionem. Quare Typis mandari, si eidem Paternitati suae Reverendissimae placuerit, censeo.*

F. Joseph Antonius Busandri Ord. Min. Conventual. S. Francisci, & S. Officii Consultor.

31. Augusti 1747.
Attentis supradictis attestationibus
IMPRIMATUR
Fr. Johannes Andraeas Passanus
Inquisitor Generalis
Cremonae &c.

1747. 6. Septembris
IMPRIMATUR
Cribellus Praetor.

INDEX

INDEX CAPITUM

Quae in hoc Opere continentur.

* CA.

CAPUT SEXTUM.

CAPUT SEPTIMUM.

CAPUT OCTAVUM.

CAPUT NONUM.

CAPUT DECIMUM.

CAPUT UNDECIMUM.

CAPUT DUODECIMUM.

CA-

Parce

PArce mendis, Lector benevole: utque textus veritati tuisque dubiis opportunè prospicias, Tu ipse primùm eas quae sensum immutant, corrigito: sciens, eum qui saepius rectè legit, vel quomodo legendum sit noscit, immutationem, mutilationem, & incrementum sillabarum difficiliùs attingere; qui verò materialiter legit, si semel male, semper male. Ita & a doctis & ab indoctis periculum invenit Typographia. Quae ortographiam respiciunt, praeterivimus, quia saltem perrarò nocent.

ERRATA	CORRIGE
Pag. 2. v. 13. nuncupabatur	nuncupabat
25. v. 12. esse	est
v. 26. computandi a catholicis	deputandi *tantùm*
38. v. 1. non adhaerere haud poterant	non sentire non poterant.
43. v. 18. damnatos	damnatas
45. v. 16. igitur	*deleatur*
57. v. 2. Societate	Societatis
v. 10. mutuâ	mutatâ
58. v. 26. & tribuendo	in tribuendo
60. v. 5. indutum	imbutum
v. 17. 43.	143.
63. v. 28. ipsi	ipsis
64. v. 31. &	ut
84. v. 25. esse	esset
86. v. 25 quam	quem
87. v. 24. perfectum	profectum
89. v. 5. &	ex
91. v. 18. sperandos	separandos
93. v. 4. pag. 68.	pag. 63.
97. v. 15. comparantibus	comparationibus
110. v. 21. hujnus umeri	hujus numeri
v. 24. ex	&
111. v. 1. coelestia	coelesti
113. v. 30. CLII.	CCLII.
118. v. 30. nunc	tunc
120. v. 9. ab.	ad
124. v. 20. exercetur	exercet
125. v. 20. temeritatem	temeritates
v. 28. justus	injustus
141. v. 24. foveat	fovent
143. v. 4. poterunt	poterant
156. v. 21. n. 1. & 3.	n. 1. & 2.
158. v. 21. foenerare	foenore
163. v. 5. agens	ageres
239. v. 7. propriùs	propiùs

PROE-


UM primùm in lectionem incidi Operum Sancti Augustini Hipponensis Episcopi, & tanti viri mihi hactenùs famâ noti illustrem profunditatem, doctrinamque cominùs degustavi; ceteris sepositis studiorum curis, hunc mihi Theologicae facultatis funditùs assequendae Magistrum elegi, veluti alteram ex columnis, a quibus difficilè se avelli posse, & cum quibus se aut errare aut sapere fatebatur Divus Bernardus (serm. 80. in Cant.) Et ut in dies magnorum hominum scripta pulcriora legentibus evadunt, tantâ in Augustini libris exarsi voluptate, ut veluti deperditum computem quidquid temporis me ab ejus lectione distrahit, illo excepto, quod in plerisque aliis legendis Patribus dedi, ex quo item quantus Magister meus sit uberiùs cognovi. Hinc enim veluti aquilam ceteris eminentiùs extolli Augustinum intellexi, unde illi rectissimè plaudit Sixtus Senensis, qui praecipuorum Patrum caracterem magis proprium considerans, ait (l. 3. Bibl.)

In dubiis, altâque locis caligine mersis
Aurelius lucem feret.

Quamvis enim antiqui Ecclesiae Doctores in iis, quae dogmatica sunt, & Fidem Catholicam tuentur & firmant, veluti uno ore locuti videantur, unde tam consonis praesidiis jure optimo exultat Mater Ecclesia: tamen in iis ipsis enucleandis atque stabiliendis, Augustinum ceteris antecellere tum perspicuitate dictionis, tum robore rationum, tum Scripturae usu mirabili quisque dignoscet, qui suas & aliorum attentè perleget lucubrationes. Ubi autem dubium aliquod occurrit, aut propter obscuritatem quaestionum res aliquatenùs opinioni subjacet, talis Augustinus est, ut ceteris omnibus anteire meritò cognoscatur. Quidquid enim

D de ſcripturis Dei, de auctoritate veterum, de rectae rationis erario produci poterat, taliter a Sancto Patre profertur, ut vel rem explanet ne aliter ſentiri prudenter poſſit, vel momentis hinc inde adhibitis, quibus certum pronunciare judicium vetatur, lectores ſtudio inquirendi inflammet, & ſecum interim dubios dimittat. Quare non perperam a Sanctis doctiſque ſui aevi viris ſummis laudibus extollitur; ejuſque ſapientia taliter omnibus admirationi fuit, ut Voluſianus fidenter ſcripſerit„ At cùm ad Antiſtitem Augu„ ſtinum venitur, legi deeſt quidquid contigerit ignorari. „ (epiſt. 135. aliàs 2. n. 2.) Sanctus autem Paulinus No-
E lanus Epiſcopus non ſolùm ipſum Magiſtrum Fidei, & benedictum Doctorem Iſrael nuncupabatur; verùm eidem ſcribens, ajebat„ Itaque quia experimentum habeo Chriſti „ in te loquentis„ & alibi„ Quia ſcio te illuminatum ſpi„ ritu revelationis ab ipſo duce & fonte ſapientum, ut „ ſicut praeterita cognoviſti, & praeſentia vides, ita etiam „ de futuris aeſtimes (epiſt. 94. aliàs 249. n. 2. & 7.). Nimius eſſem ſi Summorum item Pontificum Coeleſtini, Bonifacii, Gelaſii, Innocentii, Hormiſdae, Leonis & Gregorii, quibus Magni cognomen ob altiſſimam divinarum rerum ſcientiam obvenit, tum Leonis IV. & aliorum de
F tanti Patris profunditate praeclarè dicta vellem colligere. Satis omnibus fore opinor perpetuam illam jam notam reverentiam, qua in omnibus Conciliis & Synodis Auguſtini ſententiae amplexae fuerunt, cui, auctore doctiſſimo Melchiore Cano, cavendum eſt quemquam anteponamus; nec enim doctior vir fuit Auguſtino quiſquam, nec clarior. (de loc. Theol. l. 10. c. 5.) Quam obrem Concilium Florentinum auctoritatem Auguſtini adducturum, his utitur verbis. „ „ Beatus Auguſtinus praeclariſſimus Doctor Latinorum, „ quem Sancta quinta Synodus recepit, qui & praeſtantiſ-

„ ſimus

„ ſimus appellatur. (Concil. Florent. ſeſſ. 7.) Unde pariter Johannes Papa II. (epiſt. ad Avienum alioſque Senatores) dicebat „ Doctrinam Auguſtini, ſecundùm Praedeceſſorum „ meorum ſtatuta, Romana ſequitur, & ſervat Eccleſia. A

Tam praeclaris teſtimoniis in mea electione confirmatus, gratiis Deo peractis, quòd me tam ſolido donaſſet Magiſtro, ejuſque interceſſione quotidie implorata verbis utens Sancti Fulgentii (l. 2. de verit. praed. c. 18.) ut eumdem ſcilicet ſpiritum intelligentiae a miſericordiae Domino legens acciperem, quem ille accepit ut ſcriberet, & eamdem illuminationis gratiam adipiſcerer, quam ille adeptus eſt ut doceret; labores meos alacri ſtudio ſuſcepi ſecurus; delicioſo pabulo atque uberi me in dies ſaginari cognoſcens, tuto pede doctrinam percurrens, quam tanta perſpicuitate omnium temporum Doctores, & quod plus eſt, tota Eccleſia conſtantiſſimè celebrat, atque defendit. B

Cùm autem plures jam libros aureae illius doctrinae attentè guſtaſſem, ex quibus inter alia Sancti Patris ſententiam de ſtatu animarum Sanctorum Patriarcharum & Prophetarum, ceterorumque Juſtorum, qui ante Chriſti viſibilem in carne adventum mundo occubuerant, & in ſinu Abrahae colligebantur, omninò diverſam cognovi a duabus illis, in quas communiter ſcinduntur Scolaſtici, quaeque apud illos docentur; eoſdem Scolaſticos adìre neceſſarium duxi, ut quibus tandem rationibus a toties repetita doctrina Magiſtri mei divertiſſent, intelligere valerem. Aliquid enim minùs jam recitata elogia aeſtimanda mihi videbantur; quandoquidem in re non infimi momenti omninò diverſa ſententia jure praevaluiſſet apud omnes Theologos; quos non vidiſſe quae ego videram, arbitrari nimis frivolum putabam; aliter autem intellexiſſe quàm ego intelligebam, nonniſi magnis adductos rationibus opinari debebam. Ex C

D eorum tamen collatione nihil uſque nunc tam aptum tenuitati meae ſe obtulit, quo apud me ſoliditas perturbetur Auguſtinianae ſententiae, qua Sanctos illos jam eſſentialiter beatos ante Chriſtum paſſum, ſed per fidem in eundem venturum verae atque a Deo elargitae caritati conjunctam, conſtanter ſaepiſſimèque declarat, & in facie Eccleſiae enixè probat atque defendit.

Poſt lectionem igitur doctrinae Divi Thomae, quam in quaeſtione propoſita magis conſonam rectae rationi invèni, ſed Sancto Auguſtino non ſatis amicam, & inde fortaſſe ab hujus mente diverſam, quia unam auctoritatem ſermo-
E nis de Tempore CXXXVII. nunc Appendici ſecundò a Clariſſimis Maurinis ſub n. 160. adjudicati, pro ſe veluti legitimam Sanctus Doctor adduxit: ſenſum recentiorum Theologorum cognoſcendum putavi ab operibus recentiſſimè excuſis, in quibus ſcilicet quidquid critices opportunis auxiliis temporis beneficio inde cognoſci, & meliori luce donari potuerit, uno veluti intuitu facilè haberem; inter quae Honorati Tournely Doctoris Sorbonici libros in Gallia & in Italia ſatis comendatos ſelegi. Ex quorum lectione detexi, recentiorum placita Auguſtinianâ doctrinâ multò minùs valere; multò item minùs aeſtimanda in conſpectu doctrinae Divi
F Thomae, quae, ut dixi, rectae interim rationi concordat. Etenim Sanctus Doctor inde definit quòd Sanctorum Patriarcharum animae in doloribus uſque ad Chriſti deſcenſum in Inferos demorarentur, quia Dei illas viſione orbatas credit, & ſic poenae damni valorem tuetur & firmat. Recentiores è contra Sanctis illis ſeparatis animabus felicem quemdam ſtatum & quietum abſque viſione Dei tribuentes; privationis viſionis Dei fideliſſimum effectum infirmare videntur, & tantorum Patrum auctoritati obſtare. Auguſtinus enim ante Divum Thomam tantum poenae damni

pondus

pondus agnovit, ut hac solâ damnatos ultra omnem huma- A
nam intelligentiam miseros fore & esse definiat, quamvis alia deesset. Haec ejus verba sunt (in Enchirid. ad Laurent. c. 112. n. 29.) „ Quae si sola (ira Dei) esset quanta „ ibi minima cogitari potest, perire a regno Dei, exulare „ a civitate Dei, alienari a vita Dei, carere tam „ magna multitudine dulcedinis Dei . . . . tam grandis „ est poena, ut ei nulla possint tormenta quae novi- „ mus comparari, si illa sit aeterna, ista autem sint quam- „ libet multis saeculis longa. „ Hinc aliàs Plotini Philosophi sententiae subscripsit, qua dixerat „ Illa namque visio „ Dei tantae pulcritudinis visio est, tantoque amore dignis- B
„ sima, ut sine hac quibuslibet aliis bonis praeditum atque „ abundantem, non dubitet Plotinus infelicissimum dicere. (l. 10. c. 16. n. 1. de Civit. Dei.) Spero igitur futurum ut nec Thomistae mihi succenseant, si suum doctorem me non sequi praesentirent, a quo recentiores multò ante desciverunt veluti in hoc nimis rigido: nec ipsimet recentiores irascantur, dum eorum placitis me non acquiescere jam intelligunt, quae a Divi Thomae doctrina valdè abesse satis noverunt. Fateor enim me, dum Scolasticos contraria in hoc docere cognovi, quaestionem hanc taliter intueri coepisse, qualiter eas solemus, in quibus quid potiùs sentiendum C
sit non inutiliter investigantium exercentur ingenia; dummodo in illud omnes nostri nisus intendant, ut fidei dogma de prompta mercede visionis Dei Sanctorum spiritibus concessâ, validioribus semper contra haetherodoxos muniatur auxiliis. Hinc accuratissimè locos quaesivi, in quibus de hoc disserit Sanctus Pater, qui multi sunt, quosque tot praeclaris scripturarum testimoniis, totque rectae rationis subsidiis munitos invèni, ut haec opinio verior in ceterarum conspectu mihi sit visa. Fortasse fiet, ut post hujus operis lectio-

D nem, non levis aut nimis prompta haec mea appareat suasio; quandoquidem Sancti Patris proposita defensio quaedam tangere jubet, quae hujus etiam quaestionis fines quàm latè pateant aperiunt; & si occasio dabitur cetera etiam proponendi, forsitan me in hoc tempus haud insumpsisse aequi judices existimabunt.

Ea igitur apud Tournely legens, quae tunc praesentis instituti mei erant, locum incidi, qui me turbavit plurimum, Augustinum scilicet ex sententiis Sermonis CCLIX. Editionis novae, Millenariorum errore notatum; nullo ad minus in verbis adhibito nisu, ut tanto nomini tam nigra
E macula adimeretur saltem post baptisma susceptum; sed inutili prorsus & futili consolatione illum quasi deflendo, ejusdem erroris confirmationem veluti ex hoc scripto suo nimis certam, apud laudatum Doctorem Sorbonicum stabiliri conspexi. Quid haereticis commodum eveniret statim mente perlustrans, si, nobis etiam fatentibus, talis nota Augustino relinqueretur, qua sanctis animabus Dei visio in diem usque extremi judicii differatur; cognoscens item quanto minori pondere ejusdem Sancti Patris auctoritas iis objiciatur, qui talia venditant, ut nuper Burnetus Britannus; quantum denique auctoritatis Augustino depereat, erroris
F notato in re, quae non eruditionem respicit, sed prima nostrae fidei & antiquissima fundamenta ipsi jam Christum induto minùs certa fuisse declarat: totum studium in eo conferendum duxi, ut omnibus maturè perpensis, jure ne an injuriâ Augustinus a nostris desertus sit invenirem.

Occurrit etiam mihi ad incitamentum quod Sanctus Remigius de eo scripserat „Hunc igitur beatissimum & fidelissi-
„ mum Patrem, semper in communione Sedis Apostolicae
„ habitum, & ab ejus etiam Pontificibus inter magistros fidei
„ doctrinae venerabiliter receptum, & ab ipsis tam clarè

&

„ & honorificè contra obtrectantes & obloquentes defen- A
„ sum, ita ut imposito improbis silentio, omnem de eo
„ mussitationem comprimendam ac repellendam decerne-
„ rent; etiam nos tota fidei devotione honoremus, toto
„ studio & intentione pietatis sequamur: & in quibus
„ propter obscuritatem rerum & subtilitatem disputatio-
„ num minùs eum intelligere possumus, vel a Domi-
„ no intelligentiae postulemus, vel ab eis, quos ipse
„ suo dono illuminare dignatus est, humiliter nos doceri
„ patiamur ac deprecemur. (de tenenda veritate Script. l. 11. c. 9.) Unde èt ego Sanctum Patrem tota fidei devotione honorare pro viribus suscipiens, omnes vigilias ineundas decrevi, ut a tanta macula ipsi a nostris vel inusta vel confirmata eum purgarem; affectum, quem suo tempore vigentem commendabat Sanctus Remigius pro virium tenuitate gestiens imitari; ut omnis de eo non mussitatio solùm, verùm, èt injuriosa in editis imputatio nimis prompta cognosceretur. B

Hinc enim èt aliud quamvis comparatione jam dicto minus, tamen ex effectibus satis grande malum exoriri arbitratus sum, ut scilicet Sancti Patris sententiae in plerisque aliis haud sequendae Theologis videantur; quia in hac jam praeconcoepta vanitate, quòd ille scilicet etiam catholicus, immo saltem & presbyter, magnis obnoxius in fide erroribus fuerit; modò haec modò illa docentem Augustinum, secluso rerum profundiore examine deserant; quasi ipse non soliditate fidei & rationis, sed subtilitate tantùm ingenii aliqua in facie Ecclesiae docenda putaverit, quae nunc veluti vana & fundamentis destituta essent respuenda. Hujusmodi est quaestio de qua supra aliquid tetigi, quam tamen Sanctus Pater contra Haereticos & praecipuè Pelagianos expressè praedicavit; & quae ubi ad trutinam re- C

 ducatur,

ducatur, maximam aedificationem noſtris, maximamque doctrinam haereticis ſuppeditabit, atque ſchiſmaticis, ut vel in pluribus & magnis rebus abſque effugio convincantur, vel ultrò a ſuis erroribus, Deo adjuvante, reſipiſcant. Ut autem ordinatè procedamus, primò videndum eſt, quomodo Millenarii regni errorem laudatus Doctor Sorbonicus Divo Auguſtino tribuat.



CAPUT PRIMUM. A

Recensentur errores Millenariorum in genere, juxta praenotata a Tournely, & loca ex quibus ipse concludit Divum Augustinum millenariis adhaesisse in presbyteratu, non item in episcopatu, & cur opinio & distinctio Doctoris Sorbonici in hoc non subsistat.



Rrores enumeraturus Tournely in quos Millenarii pro variis opinionibus abierunt, haec habet (in Praelect. Theolog. de Deo & div. attrib. q. 12. art. 1. t. 1. B

„ Vel ipso primo Ecclesiae saeculo, *Cerinthiani* „ a Cerintho dicti *mille annos post resurrectionem in terreno regno* „ *Christi, secundùm carnales ventris & libidinis voluptates futuros* „ (homines) *fabulantur*, *unde Chiliastae* (h. e. Millenarii) „ *sunt appellati*: verba sunt S. Augustini l. de haeres. n. 8. „ Et ante ipsum Dionysius Alexandrinus in secundo de „ promissionibus libro apud Eusebium l. 3. Hist. Eccle„ siast. c. 28. sic loquitur. *Haec fuit illius* (Cerinthi) *opinio* „ *regnum Christi terrenum futurum. Et quarum rerum cupiditate* „ *ipse flagrabat, utpote voluptatibus corporis obnoxius & ventri ad-* „ *dictus, in iis regnum Dei situm fore somniavit, in ventris, &* C „ *earum quae infra ventrem sunt partium explenda libidine: hoc est* „ *in cibo & potu & nuptiis, atque, ut honestiori vocabulo ejusmodi* „ *voluptates velaret, in Festis & sacrificiis, & hostiarum mactatio-* „ *nibus*.

„ Cerintho ex parte adhaeserunt secundo Ecclesiae sae„ culo Marcionitae, teste ipsomet Tertulliano l. 3. adver„ sus illos. Et quarto saeculo Apollinaristae. Ita colligitur „ ex Epistola 293. S. Basilii, & Oratione 51. Sancti Gre„ gorii Nazianzeni.

„ Tria

D „ Tria igitur erant veluti capita erroris Cerinthi. Primum, Christum per mille annos post generalem carnis „ resurrectionem regnaturum in terris. Secundum, eo in „ regno omnibus impuris corporis voluptatibus homines „ obnoxios fore. Denique Legis Mosaycae Ceremoniis ac „ praeceptis rursus illos fore adstringendos.

„ Fuit aliud Millenariorum genus non ita crassum turpe ac impurum, auctore ac duce Papia Hieropolitano in „ Asia Episcopo, qui Policarpi sodalis fuit, ac Johannis „ auditor, non quidem Evangelistae, sed alterius ejusdem „ nominis presbyteri, ut observat Eusebius l. 3. c. 39. Ille

E „ falsis quibusdam Christi parabolis ac sermonibus delusus „ terrenum illud Christi per mille annos post generalem „ resurrectionem regnum confinxit, in quo voluptatibus cor„poreis non quidem illicitis & impuris, ut volebat Cerin„thus, sed licitis & inculpatis locus futurus esset. *Vir erat*, „ ait Eusebius loco mox citato, *mediocri admodum ingenio prae„ditus*, qui ex malè intellectis Apostolorum narrationibus „ fabulam illam commentus est. Illius nihilominus famâ „ & pietate plures commoti, in eundem errorem perdu„cti sunt: *hominis vetustate sententiam suam tuentibus*, ait ibi„dem Eusebius.

„ Inter sectatores Papiae, nonnulli a terreno illo Christi

F „ regno corporeas voluptates etiam licitas exclusas voluerunt, solasque animi spiritales delicias in eo agnoverunt, „ ut Tertullianus, & S. Augustinus, qui l. 20. de Civit. „ Dei cap. 7., candidè fatetur, se aliquando in ea Millena„riorum opinione versatum fuisse.

„ Eundem cum Millenariis, circa dilatam Dei visionem „ errorem propugnavit Vigilantius, de quo S. Hieronymus „ in libro contra ipsum dicebat: *Ais, vel in sinu Abrahae, vel* „ *in loco refrigerii, vel subter aram Dei, animas Apostolorum &* „ *Martyrum consedisse, nec posse de suis tumulis, & ubi voluerint*

„ *ades-*

„ *adesse praesentes .... sed in libera honestâque custodiâ in fortunatorum insulis, & in campis Elysiis recludantur*. Eandem sententiam Guido in summa de haereticis, Armaenis tribuit: in qua etiam versatos esse Graecos patet ex Concilio Florentino sessione I. A

„ In eundem errorem abiere Lutherus & Calvinus: „ ille in praelectione in Genesim: iste verò in l. 3. Instit. „ c. 25. n. 6., ubi ait: *stultum ac temerarium esse inquirere quo in loco sint animae justorum, & an gloriâ fruantur nec ne. Interea* (pergit ille) *cùm Scriptura ubique jubeat pendere ab expectatione adventus Christi, & gloriae coronam eò usque differat, contenti simus his finibus divinitùs nobis praescriptis: animas piorum militiae labore perfunctas in beatam quietem consedere, ubi cum felici laetitia fruitionem promissae gloriae expectant*. Haec Calvinus. *Ubi notanda mira hominis stultitia*, ait hîc apposítè Bellarminus, *qui dicit stultum & temerarium esse quaerere utrum animae justorum gloria fruantur, nec ne; & ipse tamen audacter definit, eas nondum frui gloriâ, sed eam expectare*. B

Hîc notare item poterat Tournely alium errorem in istis haeretici verbis, ubi ait: *animas piorum militiae labore perfunctas in beatam quietem consedere, ubi cum laetitia felici fruitionem promissae gloriae expectant*. Invenit enim hisce verbis haereticus quietem beatam & laetitiam felicem pro animabus, quibus adimitur vultus Dei, & aperta contemplatio veritatis, sine qua nemo unquam asserere justè poterit dari posse beatitatem & felicitatem animae separatae. Sed quia, si haec notasset, infirmari doctrinam videbat, qua quietem, refrigerium & pacem tribuit animabus in sinum Abrahae collectis ante Christi adventum, sine visione Dei; potiùs praescindere voluit a consideratione erroneae sententiae Calvini etiam quo ad hanc partem, quàm laborem inire, quo ex antiquis Ecclesiae Patribus cognosceret, num status ille quietis refrigerii & pacis absque visione Dei Sanctis C

sinu

D ſinu Abrahae donari ſapienter poſſet, quem porrò veluti nimis repugnantem intelligens D. Thomas, eos in doloribus conſtituit. Sed proſequamur quae Tournely in propoſita de Millenariis quaeſtione ſcribit.

„ Diſſimulandum hîc non eſt, primis Eccleſiae ſaeculis „ non paucos ex Catholicis ſcriptoribus, Juſtinum, Irenaeum „ Tertullianum, Nepotem praeſulem Aegyptium, Theo- „ philum Antiochaenum, Novatianum, Lactantium, Se- „ verum Sulpitium &c. videri in ea mente ac ſententia „ fuiſſe, Sanctos nonniſi poſt generalem corporum reſur- „ rectionem, in apertum Dei conſpectum eſſe admitten- „ dos. In quam ſententiam XIV. Eccleſiae ſaeculo plus
E „ aequo adhuc propenſus fuiſſe videtur Johannes XXII.

„ Unde tamen non inferas vel illos omnes haereticos „ fuiſſe, vel tunc temporis dogma catholicum planè oblite- „ ratum fuiſſe, & interciſam Apoſtolicam Traditionem „ circa viſionem Dei, Sanctis ſtatim a morte conceden- „ dam,„ quod duabus rationibus probat in ſubſequentibus, primî nimirum ab Eccleſiae in hac re tunc nondum pronunciato judicio; alterî quia multò plures etiam tunc fuerunt qui affirmarent Sanctos ſtatim a morte clarâ & intuitivâ Dei viſione donari, quàm qui negarent; quod item latiùs confirmat auctoritates adducens in ſectionibus ſequen-
F tibus, ubi conſtantem Sanctorum Patrum & Eccleſiae utriuſque Latinae & Graecae traditionem de hac re profert. Poſtea novitatem erroris ex ejuſdem inconſtantia, inter alia deducit, ajens:

„ Dogma catholicorum ſimplex eſt, uniforme & con- „ ſtans: non ita opinio Millenariorum, qui varias in partes „ ſcinduntur. Alii enim, ut Cerinthus illicitas corporis „ voluptates in terrenum illud mille annorum regnum „ inducebant: alii ut Papias & Irenaeus &c. voluptates „ dumtaxat licitas & inculpatas: alii ut Tertullianus, animi

„ ſpi-

„ ſpirituales ſolummodo delicias: alii terrenum illud re- A
„ gnum ante generalem corporum reſurrectionem futu-
„ rum arbitrabantur, ut Juſtinus Dialogo cum Tryphe-
„ ne: alii verò cum Papia poſt reſurrectionem. Alii cum
„ Tertulliano, Martyres a communi aliorum Sanctorum
„ lege excipiebant, eoſque ſtatim gloriâ donari arbitraban-
„ tur: alii non excipiebant. Alii cum Juſtino, Irenaeo &c.
„ juſtos cum impiis in eodem receptaculo detineri exiſti-
„ mabant: alii verò cum Tertulliano, juſtos a ſceleratis &
„ impiis ſecernebant. Ita ſolet error eſſe varius, inconſtans,
„ ac malè ſecum cohaerens. Quis porrò foret locus ille, &
„ ubi poſitus, in quo ſcilicet morabantur Sanctorum ani- B
„ mae, donec evolutis mille annis, in coelum conſpectu
„ Dei fruiturae introducerentur, non ſatis apud Veteres
„ illos compertum erat: communi vocabulo ſinum
„ Abrahae vocabant, aut locum refrigerii & quietis.

Demum claudit duabus ſequentibus obſervationibus.
„ Obſerva, duplicem diſtingui Sanctorum beatitatem:
„ unam perfectam & adaequatam, quae animae ſimul &
„ corporis felicitatem complectitur: tali beatitudine non
„ donabuntur Sancti, niſi reſumptis poſt generalem reſur-
„ rectionem ſuis corporibus.

„ Obſerva rurſus, beatitudinem Sanctorum ſaltem ex- C
„ tenſivè augendam fore poſt reſurrectionem, ex unione
„ ſcilicet animae cum ſuo corpore: an verò etiam intenſi-
„ vè & quantùm ad gradum inde perficienda ſit, levis mo-
„ menti videtur quaeſtio, ac ferè de nomine.

Quoniam verò me non aliis Scriptoribus, & Sanctis, quos ibidem notat Tournely vindicandis addixi, cetera quae Auguſtinum afficiunt proſequamur. In eo igitur loco, ubi de conſtanti Sanctorum Patrum Latinae Eccleſiae traditione circa beatitatem animabus juſtis ſtatim a morte tributam ſermonem inſtituit, denuò Auguſtinum notat, in

haec

D haec verba. „ Sanctus Augustinus de Civit. Dei l. 20. cap.
„ 7. loquens de Millenariis, *Quae opinio*, inquit, *utcumque*
„ *tolerabilis esset, si aliquae deliciae spiritales in illo sabbato affuturae Sanctis per Domini praesentiam crederentur. Nam etiam nos hoc opinati sumus aliquando: sed cùm eos qui tunc resurrexerint, dicant immoderatissimis carnalibus epulis vacaturos.... nullo modo ista possunt, nisi a carnalibus credi*. Verùm, opinionem hanc,
„ quam ante episcopatum aliquandò tenuit Sanctus Do-
„ ctor, subindè, re maturiùs expensâ, deposuit. „ Ad quam firmandam assertionem transcribit aliquot textus ejusdem Sancti Patris jam Episcopi, quos quisque apud eum videre
E poterit. Ubi notandum puto, quòd errorem, quem antea Augustino taliter tribuebat, ut videri posset haec illum sensisse etiam Episcopum, nunc ad solum tempus ante Episcopatum definit.

Evidentiùs autem Sanctum Patrem deserit eo loci, ubi ejus auctoritates veluti propugnandas sibi proponit, ait enim:

„ Jam paulò superiùs observatum a nobis fuit, Sanctum
„ Augustinum antequam Episcopus consecraretur (an. sci-
„ licet 400.) in sententiam Millenariorum aliquatenus in-
„ clinasse, sicut fatetur ipse l. 20. de Civit. Dei c. 7., quam
F „ postea, re meliùs ac maturiùs expensâ, deposuit, sicuti
„ manifestè declarant quae ex ipso superiùs testimonia lau-
„ davimus. Nonnulla tamen apud illum extant, quae ali-
„ quâ indigent expositione.

„ N. 1. Sermone CCLIX. n. 2. *Octavus ergo iste dies*, in-
„ quit, *in fine saeculi novam vitam significat: septimus requiem futuram Sanctorum in hac terra. Regnabit enim Dominus in terra cum Sanctis suis, sicut dicunt scripturae, & habebit hic Ecclesiam, quò nullus malus intrabit, separatam atque purgatam ab omni contagione nequitiae*.... Et postea. *Sextus autem dies iste cùm transierit, veniet requies post illam ventilationem, & sab-*

„ *bati-*

„ *batizabunt Sancti & Justi Dei. Post septimum autem cùm appa-* A
„ *ruerit in area dignitas messis, fulgor meritumque Sanctorum, ibi-*
„ *mus in illam vitam, & in illam requiem, de qua dictum* Oculus
„ non vidit *&c.*

Responsurus ad haec quasi a malevolis objecta, non expositione, quam promiserat utitur, sed ait „ Resp. ad primum. Reipsa S. Augustinum in ea sententia fuisse aliquando, Sanctos per mille annos cum Christo in terris regnaturos; verùm ab illa sententia, ut dictum est, subindè recessit.

Hinc autem lectores intelligent, locum l. 20. de Civit. Dei non solùm satis videri Doctori Sorbonico, ut absque B haesitatione declaret Divum Augustinum Millenariorum errori aliquandò adhaesisse, sed insuper ut absque dubio credatur Sanctum Patrem ea scripsisse, quae ex Sermone CCLIX. adducit; unde non solùm opinione vaga, sed etiam scriptis manentibus Millenarius convincatur. Et quia haec ipsa concessio, ut quisque viderit, magni detrimenti erat ad stabiliendam communem sententiam de beatitate statim post mortem Sanctis conlatâ ex constanti Sanctorum Patrum Ecclesiae Latinae & Graecae traditione (videtur enim quòd minori subsidio ad hanc confirmandam Augustini utatur auctoritate) cum distinctione a diversitate tempo- C rum petitâ, procedendum esse censuit.

Dat igitur libenter, Augustinum aliquandò Millenariis adhaesisse, immo & secundùm illorum opinionem scripsisse: sed verbum illud *aliquando* intelligendum vult de tempore ante episcopatum ab eo susceptum; ait enim quòd post episcopatum hanc opinionem constantissimè impugnaverit.

In quo item tempus hujusmodi erroris suspicandi in scriptis Augustini plus aequo protrahit; dicens enim quòd Augustinus Episcopus consecratus sit anno 400., scripta quin-

D quinque annorum ſuo marte ſuſpecta facit. Palam enim eſt Auguſtinum Coepiſcopum Valerii conſecratum anno 395. ex Proſperi venerabili auctoritate relatâ in l. 4. c. 1. n. 4. vitae Sancti Patris nuperrimè a Maurinis conſcriptae. Huic item opinioni praeclariſſimè favent, quae apud Sanctum Paulinum Nolanum habemus; qui nuncio accepto conſecrationis Auguſtini in Epiſcopum, Romaniano ſcribit laetans anno 396. „ Qui (Auguſtinus) ad majorem Dominici muneris „ gratiam novo more provectus, ita conſecratus eſt, ut „ non ſuccederet in cathedra Epiſcopo, ſed accederet. Nam „ incolumi Valerio, Hipponenſis Eccleſiae coepiſcopus Au-
E „ guſtinus eſt.... ut quem (Valerius) ſucceſſorem ſacer- „ dotii ſui ſimpliciter optabat, hunc mereatur tenere col- „ legam. (D. Paul. Nol. epiſt. 7. aliàs 46. Romaniano n. „ 2.) Quod notandum duxi, ut diſtinctioni a Tournely meditatae quinque ſuſpecti demantur anni: ab anno enim 395. in antea quidquid ſcripſit, ad ejus Epiſcopatum pertinet; & ſic probare intendens Tournely Auguſtinum presbyterum pro Millenariis ſcripſiſſe, Sermonem CCLIX. ad tempus referre debet ab anno 391., in quo presbyter electus eſt decurſum, ad annum 395., quo, Proſperi, & Paulini auctoritate Epiſcopus fuit conſecratus.

F Hujus autem diſtinctionis neceſſitas inde emergit, quòd Sermonem CCLIX. ab Auguſtino vel dictatum, vel dictum negare piaculum duxit; quem tamen nonniſi presbyter dicere poterat; & magnum aliquid viſum eſt, ſi diceretur, Auguſtinum Epiſcopum ſemper rectè ſenſiſſe, presbyterum autem in re tanti momenti erraſſe. Nam cùm, hoc ſermone excepto, nullum alium locum in tot ejus operibus invenerit Tournely, a quo de hujuſmodi errore Auguſtinus abſque excuſatione expoſtularetur; profectò, hoc etiam ipſi abrepto, verbum illud *aliquando*, quod nunc ad tempus ſui presbyteratus tam facilè refertur, ad illud potius con-

cor-

corditer imputaretur a noſtris, quo nondum baptiſmate im- A
butus, variarum opinionum fluctibus agitabatur; quod in
homine inanium rerum cognitione inflato, non valde mi-
rum eſt, ut de Divo Cypriano Carthaginenſi Epiſcopo ante
ſuam converſionem, auctor vitae illius noviſſimè pronun-
ciavit n. II. Aliis enim textibus operum ſuorum, qui obji-
ciuntur, ad probandum, Auguſtinum aliter de beatitate
Sanctorum ſenſiſſe quàm Catholica & nunc docet & ſem-
per docuit Eccleſia, Tournely reſpondere ſatagit, & San-
cti Patris intentionem exponendo, illum ab erroris ſuſpi-
cione, juxta praeconcoeptas ſententias ſuas, purgare cona-
tur. At cùm ad verba Sermonis CCLIX. venitur, nulla B
interpretatio ſuppetit, & ingenuè videtur fatendum, Au-
guſtinum presbyterum, non ſolùm talia opinatum, ſed item
populum publicè de hoc docendum duxiſſe, & veluti ali-
quid poſterorum memoriâ dignum, ſcriptis commendaſſe.
Mihi autem minùs ſcrupuli ineſſe viſum eſt, ſi dictum ſer-
monem Auguſtino indignum, & a ſtabili doctrina ſua etiam
ante presbyteratum ſuſceptum omninò alienum dicam,
quandoquidem non levis momenti rationes ſuppetunt, quas
lectores infrà reperient.

Interim autem conſideremus, num diſtinctio per Tour-
nely a temporum diverſitate petita, illum taliter juvet, ut C
ſaltem doctrina Auguſtini jam Epiſcopi ab hujuſmodi labe
immunis remaneat. Dicente enim Auguſtino *etiam nos hoc
opinati fuimus aliquando*, potior ratio non ſuppetit, quòd illud
aliquando magis de tempore ante epiſcopatum, quàm de illo
in Epiſcopatu debeat intelligi. Igitur ſi aſſertionem ſuam
de contraria & conſtanti Auguſtini Epiſcopi doctrina bono
fundamento nixam Tournely volebat oſtendere, ſermonem
oppoſitum vel ante epiſcopatum ſcriptum, vel contrario
omnino modo intelligendum eſſe, docere debebat. Hoc
autem haud praeſtitiſſe quiſque viderit ex allata reſponſio-

D ne, in qua totus eſt in confirmando hujuſmodi errorem Auguſtino inſediſſe ante epiſcopatum : non enim probat, quod omnino oportebat, eundem ſermonem ante epiſcopatum fuiſſe ab Auguſtino conſcriptum.

Quamvis enim in aperto ſit, Auguſtinum vix poſt initum presbyteratum, onus etiam loquendi ad populum ex praecepto Valerii Sanctiſſimi Epiſcopi ſuſcepiſſe, quod aliis ante illum presbyteris, Epiſcopis praeſentibus, non licebat; unde aliquam veriſimilitudinem acquirit adducta diſtinctio: nondum tamen compertum eſt, Sermonem CCLIX. tunc temporis dictum, quo Auguſtinus adhuc presbyter eſſet, ut E opinio Tournely ſubſiſtat, Auguſtinum ſcilicet presbyterum millenariis adhaeſiſſe, epiſcopum autem conſtantiſſimè eos impugnaſſe. Quid enim reponere poſſet dicenti, ſermonem illum ab Auguſtino Epiſcopo habitum? Illud nempe, ex ceteris Auguſtini ſcriptis poſt epiſcopatum elucère, diverſam illum ab hac omnino, & orthodoxam ſententiam docuiſſe, quod & facit, textus adducens ex l. 20. de Civit. Dei c. 15. Ex Tract. 26. & 49. in Johan. Ex l. 9. Confeſs. c. 3., & ex l. 12. de Gen. ad litteram. Optimè prorſus. Quid autem reſponderet neganti, ſermonem illum ab Auguſtino jam presbytero habitum? Illud ſanè, ut ab F eodem magis veritati proximo fundamento petatur reſponſio, demonſtrandum eſſet, quod in aliis operibus, quae presbyter elucubravit, his ſimilia, aut affinia reperiantur. In quibus autem libris vel epiſtolis in presbyteratu conſcriptis tale aliquid docuerit, aut innuerit Auguſtinus, cùm nec Tournely patefaciat, ut dicto ſuo fidem faceret, nec ullus aliorum, qui in eamdem ſententiam cum Doctore Sorbonico ire haud incongruum putarunt; cùm inſuper, me teſte, ex iis, quae vidi & diligentiſſimè examinaui: [illegible], nec hanc probationem praeſtare poſſent ſi vellent: quid mihi reſponderet dicenti, ſermonem illum, unde tanta macula

cula Auguſtinianae doctrinae infligitur, Auguſtini non eſſe neque presbyteri, & idcircò opus alienum & fictitium & ſpurium, & levis item auctoris eſſe cenſendum? Scio, quòd ſi hujuſmodi quaeſtio inter ipſum, ſi adhuc vivit, & me inſtruatur, libenter mihi concederet, talem ſermonem interim ſaltem tamquàm dubium inſpiciendum, unde objicientibus ejuſdem verba reſpondeatur a noſtris, Sermonem illum Sancto Patri nondum adjudicari, & donec evidentiſſimè non probetur ab iis quorum intereſſe poſſit, verè Auguſtini fuiſſe, quidquid ex eo contra tantum Doctorem arguitur, a catholicis diligentioribus reſpui. Enim verò, ſi Auguſtini Epiſcopi non eſt ex contraria collatione doctrinae; rurſus ſi praesbyteri non eſt ex eodem capite, quod infrà per me pa' bit; remanet ut Auguſtini non ſit; quod porrò omnibus tantum Patrem ſincero mentis affectu colentibus pergratum debet accidere. *A* *B*

In quo niſi vinci lucrum putaret Tournely, unum objicere poſſet; diligentiſſimos ſcilicet, & verè de Auguſtino & de tota Chriſtiana republica optimè meritos, mihique etiam hoc nomine colendiſſimos Monachos Congregationis Sancti Mauri, ſermonem illum non inter dubios, ſed prorſus inter genuinos Sancti Patris nunc primùm annumeraſſe. Fateor tantorum virorum nomen & eruditionem me homuncionem percellere: ex eodem tamen capite laetari cogor: facillimum enim eſt quòd verè docti & ingenui & Auguſtino addicti viri ſententiam commutare non erubeſcant, quandoquidem ea non ſatis fuiſſe cognoſcant, quibus ad hoc pronunciandum prudenter ſe adduci putaverunt, de quo infra loquemur. Ab eodem enim Auguſtino eos didiciſſe jam ſentio, quod in hac cauſſa opus eſt, nimirum ut docibiles ſimus. Nam & ipſe, ut nobis hujuſmodi ſemper imitabile exemplum relinqueret, interrogatus a Dulcitio *Utrum ii, qui* (die extremi judicii) *rapientur in nubem, ſolvan-* *C*

D *tur in mortem*; postquam quid inde ipse sentiret exposuit, addit„ Vellem, sicut dixi, de his verbis audire doctiores:
„ & si mihi potuerint haec ita exponi, ut in eis possit in-
„ telligi, omnes homines, qui vivunt, vel post nos victuri
„ sunt, esse morituros, corrigerem quod hinc aliquandò
„ aliter sensi. Neque enim debemus esse indociles doctores;
„ & certè meliùs homo corrigitur pravus, quàm frangi-
„ tur durus. (de octo Dulcitii Quaestionibus, quaest. 3. n.
„ 3.)



CAPUT

CAPUT SECUNDUM.

A

Explicatur locus propositus l. 20. c. 7. de Civit. Dei, & ostenditur eos illa sentientes, quae in isto dicuntur, Millenarios ab Augustino non appellari, & quòd veram Millenariorum notam, negationem scilicet visionis Dei usque ad corporum resurrectionem, ex ipso eruere nemo valeat.

NUnc ad locum redeuntes, unde Augustino macula Millenarii regni infligitur, retinendum est, quòd ad hoc ut Sanctus Pater de hujusmodi errore convinceretur, verba illa ex quibus id eruitur adeò aperta esse deberent, ut nulla prudenti interpretatione aut explicatione sanari possent. B Hoc autem ex recitatis Augustini verbis prohiberi haud mihi videtur. Inspiciamus illa attentiùs; immo ut meliùs cuique illorum sensus patescat, occasionem, qua dicta sunt, & quomodo dicta sunt consideremus.

Occasio autem ea fuit, quòd praecedenti capite Sanctus Pater de duabus resurrectionibus disputaverat, altera animarum quae in Ecclesia nunc fit, altera corporum, quae in fine temporum facienda est. Has secundùm textus Johannis Evangelistae declaravit, ostendens, illud *Amen amen dico vobis, quia venit hora, & nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei, & qui audierint vivent.* (Johan. 5. v. 25.) resurrectionem animarum significare, quae ab impietate & peccatis (quae mors C animae sunt) reviviscunt per gratiam, cujus vocibus fideliter obtemperantes a morte ad vitam transeunt, haecque solis competit bonis. Illud verò: *Nolite mirari hoc, quia venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt audient vocem ejus: & procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitae; qui verò mala egerunt in resurrectionem judicii* (Johan. 5. v. 28. & 29.) significare resurrectionem corporum, quae bonis & malis, sed cum sortis differentia communis est: quae omnia recapitulando,

D & comparatione explicando, caput sextum ejus libri, ita
claudit: „ Sicut ergo duae sunt regenerationes, de quibus
„ jam supra locutus sum, una secundùm fidem, quae nunc
„ fit per baptismum; alia secundùm carnem, quae fiet in
„ ejus incorruptione atque immortalitate per judicium ma-
„ gnum atque novissimum: ita sunt & resurrectiones duae,
„ una prima, quae & nunc est, & animarum est, quae ve-
„ nire non permittit in mortem secundam; alia secunda,
„ quae nunc non est, sed in fine saeculi futura est, nec ani-
„ marum sed corporum est, quae per ultimum judicium
„ alios mittet in secundam mortem, alios in eam vitam,
E „ quae non habet mortem.

His fidelissimè pertractatis, caput septimum incipit sic:
„ De his duabus resurrectionibus idem Johannes Evange-
„ lista in libro, qui dicitur Apocalypsis, eo modo locutus
„ est; ut earum prima a quibusdam nostris non intellecta,
„ insuper etiam in quasdam ridiculas fabulas verteretur.
„ Ait quippe in libro memorato Johannes Apostolus: *Et*
„ *vidi Agnum descendentem de coelo, habentem clavem abyssi, & ca-*
„ *tenam in manu sua, & tenuit draconem illum serpentem antiquum,*
„ *qui cognominatus est diabolus & satanas, & alligavit illum mille*
„ *annis, & misit illum in abyssum; & clausit & signavit super eum,*
F „ *ut non seduceret jam gentes, donec finiantur mille anni: post haec*
„ *oportet eum solvi brevi tempore. Et vidi sedes, & sedentes super*
„ *eas, & judicium datum est. Et animae occisorum propter testimo-*
„ *nium Jesu & propter verbum Dei, & si qui non adoraverunt be-*
„ *stiam, nec imaginem ejus, nec acceperunt inscriptionem in fronte*
„ *aut in manu sua, & regnaverunt cum Jesu mille annis. Haec*
„ *resurrectio prima est. Beatus & sanctus qui habet in hac prima re-*
„ *surrectione partem. In istis secunda mors non habet potestatem; sed*
„ *erunt sacerdotes Dei & Christi, & regnabunt cum eo mille annis.*
„ Qui propter haec hujus libri verba, primam resurrectio-
„ nem futuram suspicati sunt corporalem, inter cetera
„ ma-

„ maximè numero annorum mille permoti ſunt, tamquam A
„ oporteret in ſanctis eo modo veluti tanti temporis fieri
„ ſabbatiſmum, vacatione ſcilicet ſanctâ poſt labores an-
„ norum ſex millium ex quo creatus eſt homo, & magni
„ illius peccati merito in hujus mortalitatis aerumnas de-
„ paradiſi felicitate dimiſſus eſt, ut quoniam ſcriptum eſt
„ *Unus dies apud Dominum ſicut mille anni, & mille anni ſicut*
„ *dies unus*, ſex annorum millibus, tamquam ſex diebus
„ impletis, ſequatur veluti ſabbati ſeptimus in annis mille
„ poſtremis, ad hoc ſcilicet ſabbatum celebrandum reſur-
„ gentibus Sanctis. Quae opinio eſſet utcumque tolerabi-
„ lis, ſi aliquae deliciae ſpiritales in illo ſabbato adfuturae B
„ Sanctis per Domini praeſentiam crederentur. Nam-
„ etiam nos (c) hoc opinati fuimus aliquando. Sed cùm
„ eos, qui tunc reſurrexerint, dicant immoderatiſſimis car-
„ nalibus epulis vacaturos, in quibus cibus ſit tantùm & po-
„ tus, ut non ſolùm nullam modeſtiam teneant, ſed modum
„ quoque ipſius incredulitatis excedant: nullo modo poſſunt
„ iſta niſi a carnalibus credi. Hi autem, qui ſpiritales ſunt,
„ iſtos iſta credentes Chiliaſtas appellant Graeco vocabulo,
„ quos verbum e verbo exprimentes nos poſſumus Millia-
„ rios nuncupare. Eos autem longum eſt refellere ad ſin-
„ gula &c. C

Ad notam (c) Maurini addunt „ Sicut videre eſt in Ser-
„ mone CCLIX., qui aliàs ex Sirmondianis fuit 19.„ de
quo infra fusè loquemur.

Eos autem qui taliter hunc textum interpretabantur, in operibus huic ſabbatiſmo tribuendis diverſimodè opinatos oſtendit Sanctus Pater; inter eos ſcilicet dividens qui ſpiritales delicias in illo ſabbato affuturas putabant, quos inter & ſe aliquando fuiſſe ingenuè fatetur; hancque opinionem utcumque tolerabilem dicit; & illos qui immoderatiſſimis corporalibus epulis vacaturos Sanctos dicebant, in quibus

D cibus sit tantùm & potus; quae subdit nonnisi a carnalibus credi posse, ideoque veluti errorem damnat omninò.

Num autem hos cum Cerinthianis confundat quos etiam Chiliastas nominat, ambiguum videri potest; quia libro de Haeresibus numero VIII, ubi de Cerintho loquitur, non solùm cibum & potum, sed etiam libidines commemorat, de quibus hîc nihil loquitur; quandoquidem illud, *ut non solùm nullam modestiam teneant, sed modum quoque ipsius incredulitatis excedant*, ad hanc etiam intelligentiam trahere nolimus. Quod si non est, ut videri item potest ex contextu; ex his carnalibus, duas sectas distinguit, quarum una in
E cibo & potu immoderatissimo consisteret, altera etiam libidines adderet, & unam pejorem alterâ declarat, tum hîc, tum in laudato de haeresibus libro; quibus item Chiliastarum nomen imponit.

Chiliastarum autem nomine etiam illos comprehendi, qui quamvis mille annorum sabbatisinum in prima resurrectione corporali futurum putarent; tamen Sanctos illud celebraturos in solis spiritualibus deliciis credebant; meliori jure ex Sancto Patre negatur. Tum quia hanc opinionem utcumque tolerabilem dicit, quod nimis donat Chiliastis haereticis; tum quia inter spiritales retinere videtur etiam
F istos; dum aliorum errores enumerans, quos carnales nuncupat, addit *Hi autem qui spiritales sunt, istos ista credentes Chiliastas appellant*. Neque enim de aliis spiritalibus supra locutus erat, ad quos illae voces referantur: sed quomodo illae *istos ista credentes* milliarios sive Chiliastas respiciunt; ita illae, *hi autem qui spiritales sunt*, non ad alios quàm ad illos, qui spiritales delicias sanctis in illo regno affuturas credebant, quosque supra commemoraverat, jure videntur referri. Hinc autem arguere possumus, non omnes, qui mille illud annorum regnum post resurrectionem computabant, Millenariorum sive Chiliastarum nomine comprehendi; hos

enim

enim expreſsè damnat Auguſtinus; aliorum verò opinionem A
utcumque tolerabilem dicit; ideoque ſibimet-ipſi, qui jam fatetur cum ſpiritalibus illis ſenſiſſe, Millenarii in hoc ſenſu abripit nomen.

Hanc namque opinionem cùm utcumque tolerabilem dicit jam Epiſcopus, ideoque dante ipſo Tournely, omni errore in hac re purgatus; ipſam haereſeos notam mereri jam negat; quamvis meliora ſentire proprio exemplo etiam eos docendos innuat, qui utcumque tolerabilia ſentiebant; proindeque ipſos a Chiliaſtarum numero ſegregat, quos cum verè haereticis computat libro de haereſibus n. 8. Hoc autem inde eſſe quia vel animosè & conſtanter, veluti certa B
iſta non contendebant, ſed uti peculiarem opinionem ſuam proponebant; vel quia hujuſmodi ſententia taliter interpretari poterat, ut contra fidem non eſſet.

Primum ex definitione haeretici ab ipſo Auguſtino prolatâ noſcimus, (epiſt. 43. aliàs 162. n. 1.) ubi ſic ait„ Dixit quidem
„ dem Apoſtolus Paulus; *Haereticum hominem poſt unam cor-*
„ *reptionem devita, ſciens quia ſubverſus eſt ejuſmodi, & peccat,*
„ *& eſt a ſemetipſo damnatus*. Sed qui ſententiam ſuam, quam-
„ vis falſam atque perverſam, nulla pertinaci animoſitate
„ defendunt, & praeſertim quam non audaciâ praeſumptio-
„ nis ſuae pepererunt, ſed a ſeductis atque in errorem lapſis C
„ parentibus acceperunt, quaerunt autem cautâ ſollicitudi-
„ ne veritatem, corrigi parati cùm invenerint; nequaquam
„ ſunt inter haereticos computandi a catholicis „ Ejuſmodi Sanctum Cyprianum fuiſſe cùm baptizandos haereticos, vel qui ab haereticis baptizati dicebantur, multo labore defendebat, videre eſt in multis Auguſtini libris contra Donatiſtas.

Secundi verò exemplum in laudato libro de haereſibus pariter habemus, ubi n. 86. de Tertullianiſtarum erroribus loquens, ſic ait. „ Tertullianus ergo, ſicut ſcripta ejus indi-
„ cant,

D „ cant, animam dicit immortalem quidem, sed eam corpus
„ esse contendit: neque hanc tantùm, sed ipsum etiam
„ Deum. Nec tamen hinc haereticus dicitur factus. Pos-
„ set enim quoquo modo putari, ipsam naturam substan-
„ tiamque divinam corpus vocare; non tale corpus, cujus
„ partes aliae majores, aliae minores valeant vel debeant
„ cogitari, qualia sunt omnia, quae propriè dicimus corpo-
„ ra; quamvis de anima tale aliquid sentiat; sed potuit, ut
„ dixi, propterea putari corpus Deum dicere, quia non
„ est inanitas, non est corporis vel animae qualitas, sed
„ ubique totus, & per locorum spatia nulla partitus, in
E „ sua tamen natura atque substantia immutabiliter perma-
„ net. Non ergo ideo est Tertullianus factus haereticus.

Ex quibus discimus, eos etiam, qui eo modo de regno mille annorum sentiebant, quo modo Augustinus se aliquando opinatum fatetur, inter millenarios haereticos ab eo non fuisse computatos, vel quia pertinacia deesset opinionis; vel quia haec eadem sententia taliter explicari ab iis posset, ut fidei non adversaretur. Hoc autem praesupponit, ut in fidelissimè recepto & semper praedicato principio non dissentirent, quo animae per gratiam Dei in hac vita justificatae, ad contemplationem veritatis & intuitivam
F Dei visionem statim a morte elevari credebantur Hoc enim ab illo primitùs recitato textu Evangelistae Johannis docetur, & a mille aliis praeclarissimis Scripturarum sententiis, quae nullo modo ad finalem corporum resurrectionem possunt aptari. Qua fide positâ, cetera jam a non bene intellecto textu Apocalypsis provenientia, aliquatenus sanari poterant; & utcumque tolerabilia fieri.

Re enim bene perpensâ, animae, quae jam Deo plenae beatitate fruebantur, hanc felicitatem nequaquam deperdent, quamvis a coelis in terram ad animanda primaeva corpora evocentur; quod exemplo Angelorum Custodum pro-

probatur; qui quamvis nobiscum in terris & non in coelo sint; attamen nihil inde deperit essentiali eorum beatitati. Ideo si resurgentibus corporibus, Sancti in terris per mille etiam annos permanere debuissent, Domino praesente, hoc eorum intrinsecam beatitatem non tollit: extrinsecam autem de mente Augustini illae spiritales deliciae formarent, quas in eo regno affuturas tunc opinabatur. Et certè in immortali & nulli vitio vel indigentiae subjecto corpore spes certissima firmaretur de carnis resurrectione: deinde animae per corporis consortium nullo modo ab intellectuali & intrinseca gloria retardarentur, quia non cum corpore redit difficultas ex corpore: demum extrinsecè etiam & carnalibus oculis Christi gloriosam humanitatem contemplarentur totamque Ecclesiam Sanctorum; unde nihil quod amplius vel expeterent, vel sperarent ex loci mutatione occurrit. Quicumque demum ille sit, ad quem post mille annorum emensum spatium adducerentur; aliquid inde fortasse accidentali gloriae addendum suspicari poterant, essentiali autem nihil; ibi enim Paradisus totius hominis verè est, ubi & animae a Trinitate intus illuminantur, eamque vident, sicuti Unigenitus revelare dignatur; & corpora clarificata Dominum Jesum Christum Regem & Caput nostrum in sua gloriosa humanitate etiam exteriùs, corporalibus scilicet oculis, contuentur.

A B C

Qua positâ interpretatione, quam illorum opinio optimè suscipit, unum corrigendum remanet, quod nimirum fortasse opinarentur, post illud mille annorum spatium melius aliquid futurum Sanctis ex loci mutatione, a terris scilicet in coelum ascensuris. Quod sicuti explicari vel demonstrari non potest iis, qui ea crederent de quibus supra; ideo utcumque tolerabilem hanc opinionem dicit Augustinus, quia suppositum Christi regnum in terris definito tempore, etiam iis non docentibus, ansam suppeditat suspicandi, melius

aliquid

D aliquid poſt hoc conſecuturos Sanctos, unde eos in incompleta beatitudine recognoſcerent infirmiores plurimi; cùm tamen fideliſſimè retinendum ſit in corporum reſurrectione glorioſâ hominem perfici, quia tunc utriuſque naturae, ex quibus conſtat ſanitas perfectiſſima definitur. Sed fortaſſe ii mille annorum regni aſſertores, nihil inde ex mutatione loci Sanctorum animas conſecuturas ſentiebant: quia verò hoc ſuppoſito hujuſmodi Chriſti regnum in terris tanto tempore ſuperfluum erat, illud autem defendere, offenſionem parabat parvulis pluribus & fidei lacte nutriendis; ideo eam ſententiam utcumque tolerabilem dicit etiam
E Epiſcopus, eam ipſam ſignificans emendandam, nè quod tolerabiliter ſentientibus non oberat, infirmis obeſſet. Sed rurſus mille iſtud annorum regnum opinantes, hujuſmodi ſuperfluitatem tollere arbitrabantur, duas corporum reſurrectiones putantes futuras ex malè intellecto ſupracitato textu Apocalypſis, primam nimirum Sanctis peculiarem, alteram poſt annos mille regni Sanctorum in terris, impiis & peccatoribus debitam, ut infra videbimus, poſt quam ultimum de iiſdem judicium fieret, ſedentibus in judicio Sanctis. Verùm quia inde etiam nihil aedificationi fidelium aptum, ſed fabulis confingendis, & inutilibus quaeſtionibus
F proponendis opportunum conſurgebat; & hae duplici corporali reſurrectione, Evangelii textibus, veluti ex Sanctorum librorum auctoritate, bellum inferebatur; ſapienter hanc ipſam opinionem notat Sanctus Pater, de eâque ait *Eos autem longum eſt refellere ad ſingula*.

Non inde tamen Chiliaſtae appellari merebantur; tam enim longè erat, ut iſti inter haereticos annumerandi viderentur, ut neque multo pejora ſentientes hujuſmodi notâ inurerentur. In quo Divum Hieronymum audire praeſtat. „
„ Quamquam, ait, Judaei auream atque gemmatam Jeruſa-
„ lem reſtituendam putent, rurſumq; victimas & ſacrificia,
„ &

„ & conjugia Sanctorum, & regnum in terris Domini Sal- A
„ vatoris: quae licet non ſequamur, tamen damnare non
„ poſſumus; quia multi Eccleſiaſticorum virorum & Mar-
„ tyres iſta dixerunt, ut unuſquiſque in ſuo ſenſu abundet,
„ & Domini cuncta judicio reſerventur. (ſerm. 19.) Hinc quae tunc inculpatè neſciri, & non pertinaciter ſuſtineri, ſed diligentiùs inquiri poſſent cognoſcimus; in quorum tamen comparatione multò meliùs & Divum Auguſtinum, & eos, qui juxta ejus limitationem mille annorum regnum opinabantur, ſenſiſſe, palam eſt.

Sed nunquid èt illud haud damnandum Hieronymo videretur, & veluti eruditionis cauſſam non excedens, ſi Juſtis ſeparatis animabus Dei viſio & conſortium, quantum animae licet a corpore ſejunctae, ſtatim a morte ejuſdem corporis, immò uſque ad carnis reſurrectionem denegaretur? B Audiamus illum iterum contra Vigilantium diſputantem, ejuſque audaciam contundentem, quia Apoſtolos ſub cuſtodia detineri uſque ad judicii diem dixerat; Dei quidem viſione & conſortio orbatos; ſed tamen in refrigerio & in aliqua felicitate & pace, quia, ut praenotatum eſt, ipſos in fortunatorum inſulis & campis Elyſiis recludebat. „
„ Tu, inquit Hieronymus, Apoſtolis vincula injicies, ut
„ uſque ad judicii diem teneantur cuſtodiâ, nec ſint cum C
„ Domino ſuo, de quibus ſcriptum eſt *Sequuntur Agnum quo-*
„ *cumque ierit?*

Dilatio ergo beatitatis Sanctarum animarum uſque ad reſurrectionem carnis veram efformat Millenariorum notam, qua inuri non hi aequè merentur, qui creditâ beatitate eſſentiali Sanctorum uſque in finem ſaeculi, de eo poſtea diſputabant, ubi primùm poſt reſurrectionem conſiſterent Sancti, & num ubi primùm, ibi ſemper; deinde quid in terris, hoc regno annorum mille durante, eſſent acturi. Quos inter cùm & aliqui inveniantur, qui ſpiritalis jam intel-

D intellectae & creditae beatitatis dignitate ducti, spiritales delicias sanctis tribuerent etiam in beato corpore; porrò ab iis segregandi sunt, qui vel cibi & potus immoderatissimi, vel etiam, quod deteriùs longè est, libidinis voluptates in eo regno somniabant; illi enim cum istis in solo numero annorum mille huic regno terreno tribuendo conveniebant.

Quaero igitur a quocumque qui per illa verba cap. 7. lib. 20. de Civit. Dei, culpam millenariorum Augustino tribuit, num ex iisdem illud eruere valeat, quòd vel ille, vel alii, quibuscum ille de regno Christi terreno aliquando senserat animarum etiam sanctarum beatitatem denegaverint usque
E ad carnis resurrectionem? Quod cùm ostendi non possit, immo contrarium consequatur ex judicio de hujusmodi opinione prolato a Sancto Patre jam Episcopo extremis vitae suae annis, eam utcumque tolerabilem dicente: immeritò Augustinus inde inter millenarios computatur cùm ex iis, quae diximus pateat, eum talia sentientes inter Chiliastas non numerasse; nec eodem nomine tam diversa opinantes ab Augustino Episcopo appellatos putari fas sit.

Sive igitur textus explicationem attendamus, Sancti Patris intentionem ex iis verbis attentiùs eruentes; sive ejusdem de ea opinione judicium; sive demum quòd neque violenter
F erui inde possit, beatitatem Sanctis separatis animabus interim denegatam: semper inconsultam & nimis promptam noscemus millenarii regni notam Augustino ex hoc ejus loco non satis perpenso inustam.

CAPUT

CAPUT TERTIUM. A

Vera eorum, qui mille annorum regnum expectabant divisio ex contextu Augustini resultans: & quòd ii, qui secum opinabantur tolerabiliter senserint; commodior demum Millenariorum in genere divisio.

QUae in praecedenti capite notavimus quasi circa possibilem mille annorum regnum propugnantium sententiam, quos Augustinus tolerabiliter esse opinatos dicit, me quidem sollicitant ad hanc materiam penitiùs examinandam, ne quisquam opinaretur studio illius partis defendendae, me aliquid ad opportunitatem confinxisse; B quoniam Sancti Patris verba aliquatenus in hoc obscura possunt videri, iis praecipuè qui ex eodem loco communionem opinionis Papiae Sancto Patri affingunt. Dico igitur unum ex nostris certè, & plures fortasse alios ejus sententiae fuisse, duas corporum resurrectiones futuras; primam Sanctorum, iniquorum alteram; atque inter utramque spatium annorum mille intercessurum, quo interim Sancti in terris cum Christo regnarent. Haec a Gennadio habemus libro de Ecclesiasticis dogmatibus cap. 25., aliàs Augustino tributo, & nunc in appendicem T. 8. rejecto; ubi sic ait. „ C
„ In divinis repromissionibus nihil terrenum vel transito-
„ rium expectemus, sicuti Melethiani sperant. Non nu-
„ ptiarum copulam, sicut Cerinthus, & Marcion delirant.
„ Non quod ad cibum vel potum pertinet, sicut Papiâ
„ auctore, Irenaeus, Tertullianus & Lactantius adquie-
„ scunt. Neque per mille annos post resurrectionem re-
„ gnum Christi in terra futurum; & sanctos cum illo in
„ deliciis regnaturos speremus, sicut Nepos docuit, primam
„ Justorum resurrectionem, & secundam impiorum: &
„ inter has duas mortuorum resurrectiones, gentes igno-
„ rantes

D „ rantes Deum in angulis terrarum in carne reſervandas:
„ quae poſt mille annos regni in terra Juſtorum, inſtigante
„ diabolo, movendae ſint ad pugnam contra Juſtos regnan-
„ tes; & Domino pro Juſtis pugnante, imbre igneo compe-
„ ſcendas: atque ita mortuas, cum ceteris in impietate an-
„ te mortuis ad aeterna ſupplicia in incorruptibili carne
„ reſuſcitandas.

Hanc duarum reſurrectionum ſententiam notare Sanctum Patrem in loco l. 20. c. 7. de Civit. Dei, quamvis & ſuam aliquando fuiſſe ibidem fateatur, ejus verba produnt; ait enim „ qui propter haec hujus libri verba (nimirum
E „ cap. 20. Apocalypſis) primam reſurrectionem ſuſpicati
„ ſunt corporalem, inter cetera maximè numero annorum
„ mille permoti ſunt; tamquam oporteret in Sanctis eo
„ modo veluti tanti temporis fieri ſabbatiſmum, vacatione
„ ſcilicet ſancta poſt labores annorum ſex millium ... ut
„ quoniam ſcriptum eſt *Unus dies apud Dominum ſicut mille*
„ *anni, & mille anni ſicut dies unus*, ſex annorum millibus,
„ tamquam ſex diebus impletis, ſequatur veluti ſabbati ſe-
„ ptimus in annis mille poſtremis, ad hoc ſcilicet ſabbatum
„ celebrandum reſurgentibus Sanctis. „ Palam eſt huic corporali reſurrectioni ſolis Sanctis peculiari intendiſſe
F Auguſtinum, nihil enim de impiorum reſurrectione commemorat, quod tamen neceſſarium erat, ſi illud terrenum Chriſti regnum poſt generalem corporum reſurrectionem eſſet opinatus, ut Tournely ex eodem textu veluti nimis certum de ipſo affirmare poſſe ſentit.

Quomodo igitur illos ita ſentientes tolerabiliter opinatos eſſe declaret Auguſtinus, inveſtigando; dicendum videtur, quòd ſuperfluitatem ejuſdem regni in terris aliquatenus ſalvarent, & nihil contra praeclaram fidem proponerent. Revera reſurgentibus Sanctis, & per mille annos cum Chriſto in terris regnantibus, aliqua ratione eos hîc demoratos

ratos invenimus in illorum ſententia, qui duas reſurrectiones expectabant. Huic ſiquidem ſpatio tranſacto, impiorum reſurrectio ſuccedebat, ipſorumque poſt eam judicium. Et quoniam Sanctos fideliter credimus in judicio ſeſſuros ad impios judicandos, commodiùs id fieri arbitrabantur, ſi Judicum reſurrectio praecederet, judicandorum ſubſequeretur. Quibus demum in incorruptibili etiam corpore ante conſpectum Chriſti Judicis, totiuſque Eccleſiae Sanctorum conſtitutis, & juxta propria merita judicatis, in ignem Diabolo & angelis ejus paratum detrudentur; Sancti e contra in regnum Coelorum ipſis a conſtitutione mundi paratum, recipientur. A

Hinc autem ſicuti nec reſurrectio generalis negatur, nec quod Juſtis promiſſum, & impiis minitatum eſt excluditur, & ſola quaeſtio de tempore proponitur, cui favere textum Apocalypſis putabant: ideo opinionem hanc utcumque tolerabilem dicit Sanctus Pater. Quia verò addit. *Eos autem longum eſt refellere ad ſingula*, illud item innuit, plura ex ſcripturis huic intelligentiae textus Apocalypſis & aliorum quae in ſuae opinionis praeſidium fortaſſe adducerent, inveniri contraria; ut omnibus maturè propoſitis atque perpenſis, duplex corporum reſurrectio, atque ita regnum in terris, veluti ſupervacaneum excluderetur. Quod autem fabuloſum huic opinioni interſerebant, ſatis improbat Auguſtinus, initio illius capitis dicens, ab aliquibus ex noſtris in quaſdam ridiculas fabulas hanc primam reſurrectionem verſam fuiſſe. Fabulam revera redolet quidquid Nepos de ſtatu gentium Deum ignorantium uſque ad ſecundam reſurrectionem refert: magis etiam illarum contra Juſtos bellum. Verùm, ut dictum eſt, haec omnia tarditatem quidem ingenii in ſuis auctoribus culpant, non item fidei defectum; atque idcircò utcumque tolerabiliter eos ſenſiſſe Auguſtinus dixit; ſeque cum illis opinatum eſſe ingenuè fatetur; non jam B C

D quantum ad fabulas huic opinioni invectas, ſed quantum
ad diſcretionem reſurrectionum, atque hiſce poſitis, quan-
tum ad regnum ſpiritale Sanctorum in terris attinet per
mille annos.

Quia autem non fabuloſi tantum, ſed item intemperan-
tes hujus regni aſſertores inveniebantur; aliquibus ſcilicet
delicias Sanctorum in ea manſione conſtituentibus in cibo
& potu immoderatiſſimo; primos ridendos, ſecundos verò
damnandos definit. Aliud enim eſt ea Sanctis dare, quae
ordinis perturbationem important; quae ſi in hac carne vi-
ventibns non licent, immo ea ſequentes Sanctorum gloriam
E conſequi injuſtè diceremus; multò minus iſta nunc pro-
hibita, tunc Sanctis licita aſſerere fas eſt: aliud item &
longe diverſum Sanctis in eo regno delicias ſpiritales tri-
buere, quamvis in fine ejuſdem regni aliquid futurum ſup-
ponatur, quod fabulam redoleat. Quamobrem adduci non
poſſum ut credam intemperantes illos ea verba Auguſtini
reſpicere *a quibuſdam noſtris*, quae in initio ejuſdem capitis
leguntur; cum ex noſtris ii haberi non poſſint, qui intempe-
rantiam hîc a lege damnatam, & propter quam a Dei &
Sanctorum ſocietate ſejungimur, illic inſtar deliciarum in
Sanctis agnoſcant. Ex noſtris verò illos fuiſſe declarat Au-
F guſtinus, qui, quamvis fabuloſum aliquid fini hujus regni
interſererent, nihil tamen Dei ſervis indignum in ea man-
ſione ſomniabant, *vacationem* ſcilicet *ſanctam* promittentes.

Si igitur verba illa Auguſtini *a quibuſdam noſtris* Nepoti &
ejus aſſeclis convenire cenſeamus, ſicuti cetera, *in quaſdam
ridiculas fabulas*, illos notare videntur; mirum ſi Auguſtinus
Nepotem veluti ex noſtris haberet, ſeque cum illo tolerabi-
liter erraſſe dixiſſet; dum praeter haec, quae ſalva fide po-
terant ignorari, in eo etiam erraſſet, quo viſio Dei uſque
ad carnis reſurrectionem Sanctis denegaſſet. Profecto hu-
jus etiam erroris indicium in Gennadii verbis invenire non
poſ-

possumus, immò diligenter perpensa contrarium aliquid innuunt; sicuti nec ejusdem notam in verbis Augustini reperimus; qui e contra hanc opinionem utcumque tolerabilem dicens jam Episcopus, hoc etiam de Nepote & de se item denegat, quod scilicet in constantissima fide deviaret visionis Dei statim a morte Sanctorum spiritibus conlatae. Qui enim etiam istud opinabatur, numquam veluti ex nostris haberi poterat, quoniam si ex nostris fuerit, jam per hanc fidei deformitatem a nobis recessit, & ex nostris amplius non est. A

Non enim tunc de duplici corporali resurrectione ex malè intellecto textu Apocalypsis quaestio fuisset apud Nepotem & suos; sed illam animarum denegasset, quae hîc fit per Dei gratiam ab infidelitate & iniquitate, quae tamen, quandoquidem ab illo Apocalypsis textu insinuata non crederetur, adeo frequens in Scripturis Dei praedicatur, ut nonnisi a perdito posset impugnari. Nepotem autem Episcopum in Sanctae Matris Ecclesiae communione manentem tamdiu desipuisse numquam credam. Hinc enim totius fidei fundamenta destruuntur; hinc spei inanitas & Sacramentorum, hinc poenitentiae vanitas, & quidquid impium & insolens excogitari umquam possit, in hoc uno verbo instauratur, quod animae in hac carne natae, in eâdem non reviviscant. Cujus resurrectionis cùm fidelissimus effectus ille sit, ut semel in gratiam admissae, Dei participationis capaces evadant, & sint, ab eâque non decidant nisi voluntariâ degeneratione peccantes; consequitur, ut in hac gratia mundo decedentes, ad apertam revelationem creditae & concupitae veritatis absque mora admittantur; quia nihil est, aut ex parte Dei, aut ex parte hominis, quod in Justis plenè purgatis, visionem Dei claram & intuitivam possit retardare, ut optimè notat Doctor Sorbonicus. Quae si Nepos fideliter credebat, in ceteris tolerabiliter errabat; ve- B C

D niamque faciliùs merebatur, quia verba Apostoli Johannis in Apocalypsi valdè obscura sunt, ut quisque dignoscet, qui totum Augustini librum 20. de Civit. Dei attentè percurret.

Non adeò tamen indulgens Sanctus Pater fuisset, si illorum opinionem notasset, quos Tournely antiquitùs opinatos esse commemorat hujusmodi Christi in terris regnum cum Sanctis suis post corporum generalem resurrectionem futurum; etiam excepto errore retardatae interim visionis Dei Justis defunctis. Nam si illorum quoque opinio ex malè intellecto textu Apocalypsis proveniebat, docere debebant quando
E fieret secunda, si prima corporum resurrectio generalis haberetur. Cui instantiae cùm responderi sapienter non possit sensum dicti textus aliquatenus retinendo, indirecta & errore praegnantia, & omninò damnanda commenta jure expectaremus; quae non aliâ confutatione indigerent, quàm eorundem commemoratione.

Hac igitur positâ Gennadii doctrinâ ex diligentiori examine verborum Augustini confirmatâ, commodiorem Millenariorum (si ita omnes nominare libèret) divisionem nobis dedisset Tournely: eos inter, qui mille annorum regnum ante generalem corporum resurrectionem putabant, & illos
F qui idem regnum post generalem corporum resurrectionem expectabant, quibus perperàm Doctor Sorbonicus Nepotem annumerat, ut ex Gennadii auctoritate jam constat. Multum enim, ut vidimus inter hos interest; quos postremos nec Augustinus nominat; nisi ad hanc etiam sectam indicandam inservire velimus, quod de Cerinthianis & Merinthianis scripsit libro de haeresibus n. 8. qui porrò si etiam istud putassent, nihil esset mirandum, quandoquidem nec Christum resurrexisse dictitabant; & huic Sanctorum regno, ventris & earum quae infra ventrem sunt partium voluptates promittebant. Quorum sicuti stultitia cele-

celebris, & impuritas & intemperantia patens erat, nonniſi ſtulta & impura vel ſentire, vel expectare vel proponere valebant. A

Inter eos verò qui terrenum regnum arbitrabantur ante generalem reſurrectionem, ſolis in primâ reſurgentibus Sanctis, adhuc dividere opus erat, ex qualitate deliciarum Sanctis in eodem aſſignatarum. Qui enim ſolas ſpiritales delicias & vacationem ſanctam in eo ſabbato affuturas putabant, teſte Auguſtino, tolerabiliter ſentiebant; non item illi, qui vel licitas, ſed tamen omninò corporales voluptates expectabant; *non eſt enim regnum Dei eſca aut potus*, ut ait Apoſtolus. (Rom. 14. 17.)

In quorum numero ſi aliquos certo fundamento inveniſſet Tournely, qui Sanctorum ſpiritibus uſque ad hanc particularem reſurrectionem Dei conſpectum denegaſſent; adhuc dividere neceſſarium erat hos inter, & illos, qui vel hanc non denegabant (ex quibus probatum jam ſupra eſt Nepotem fuiſſe & Auguſtinum) & eos item, qui Martyrum animas a communi Sanctorum lege excipiebant, ut Tertullianus. B

Aliam item claſſem efficerent illi, qui juſtos cum impiis in eodem receptaculo uſque ad reſurrectionem recludebant, quos inter Sanctum Juſtinum & Irenaeum numerat Doctor Sorbonicus; de quo quidem nihil affirmo, immò apud illum totam hujus facti veritatem relinquo. Illud tamen haud perperam repetendum diligentioribus credo, quod nimirum tanti nominis tantaeque pietatis viri nimis deſipuiſſent, ſi animae reſurrectionem in hac vita credentes, juſtis ſpiritibus nullae culpae obnoxiis hinc decedentibus, Dei participationem arriperent; cujus dulcedinis primitiis (quantum animae huic corpori conjunctae licet) in hac etiam vita eos frui inficiari non poſſent; cui opinioni & ex ſcripturis documenta, & ſui ipſorum experientia, & aliorum ſuae aeta- C

D tis Sanctorum exempla non pauca adversari, non adhaerere haud poterant.

Postremam illi occuparent, qui Millenariis non in terreno regno, aut in duplici resurrectione corporum stabilienda consenserant, sed quorumdam errori communicaverant, qui justis usque ad generalem carnis resurrectionem Dei vultum denegabant, ut Vigilantius, Armeni & Graeci, recentiùs Lutherus & Calvinus, recentissimè Burnetus Britannus.

Hac vel etiam meliori & latiori divisione propositâ, non illud effudisset Tournely, quod dixit „ Quis porrò foret locus ille, & ubi positus, in quo scilicet morabantur San-
E „ ctorum animae, donec evolutis mille annis, in coelum „ conspectu Dei fruiturae introducerentur, non satis apud „ Veteres illos compertum erat: communi vocabulo sinum „ Abrahae vocabant, aut locum refrigerii & pacis „ Neque enim hunc locum refrigerii & pacis assignare poterant animabus Sanctorum antiqui illi, qui justas cum impiis in eodem receptaculo detineri existimabant; nisi & illud suis erroribus adderent, quòd etiam impii hac felicitate fruerentur usque ad carnis resurrectionem. Neque illi certè animas interim Dei visione privabant, qui eas in sinu Abra-
F hae, ministrantibus Angelis condebant; nam isti vel nunquam, ut Augustinus, vel certè post Christi descensum in inferos, sinum illum tantâ felicitate haud carentem agnoscebant, ut in subsequentibus patebit.

Ita pariter evitasset alicujus fortè momenti oppositionem, quae ex suismet verbis consurgit. Videtur enim quod ipse crederet eos, qui regnum illud expectabant ante resurrectionem carnis, intellexisse mille annos effluxuros antequam una & generalis resurrectio fieret. Sed cùm interim Sanctos vel cum impiis recluderent, vel saltem Dei conspectu orbarent, ut pariter vult; ipse videat quomodo spatium tanti

tanti temporis in hac privatione transigendum, Sanctorum regnum appellet. Et illi enim qui in hoc deteriora senserunt, ideo tamen tanti temporis spatium regnum appellant, quia Domino praesente delicias Sanctis affuturas, expertis in hac vita multò meliores, atque indeficientes in eo putabant, unde in bonum nomen regni sonabat, nec Dei visionem excludebat. In malum verò iis sonabat, qui tanti temporis spatium sanctis definiebant, usquedum ad Domini conspectum evocarentur; illud enim consequebatur, quod sicuti tunc primùm per Domini praesentiam deliciis affluerent, sic antea & usque ad illud nonnisi miseriis circumdarentur. A

Vidi apud Hebraeos eam opinionem invaluisse, quam refert Doctor Paulus Medici in libro, cui titulus „ *Costumi degli Ebrei*, ubi cap. 32. (pag. 283. Editionis Venetae, haec habet „ Si prova ancora che il Messìa è già venuto coll'autorità degli stessi rabbini, nel Talmud Trattato Sanhedrin cap. Chalec, e nel Trattato Havodazarà cap. Liphnè Edeèn, tali parole si leggono. *E' tradizione dell' Accademìa d'Elìa* (non parlano di Elìa profeta, ma d'un altro Elìa Rabbino famoso, il quale visse molti anni prima della venuta del Salvatore, e per quanto apparisce, era uomo giusto, ed aspettava la salute, e la redenzion d' Israel) *sei mila anni dura il Mondo, due mila de' quali furono senza legge, due mila il tempo della legge, e due mila il tempo del Messìa*. Hoc autem Messiae tempus quod regnum ejusdem vocant Hebraei, scimus hos ipsum felicissimum futurum sperare, & quo viribus & virtutibus Christi a captivitate liberarentur, & omnimodâ terrenâ gloriâ decorarentur. Atque inde praecipuè fuit, quod adventum ejus carnales plurimi spernerent, dum adeo a male expectato diversum conspexerunt. Et Hebraeis igitur regni nomen in bonum sonat, neque hîc tantum, sed & post animae a suo B C

 corpore

D corpore separationem. Idem enim Doctor Medici aliàs haec habet. c. 31. p. 245. „ Terminati i dodici mesi dopo „ la morte di un qualche Ebreo, credendo essi che le anime „ degli empj non patiscano nell' Inferno che questo spazio „ di tempo, tengono per cosa certa, che vadano in Paradiso, da essi Ganheden addimandato. Non repugnano i „ rabbini a confessare, che la beatitudine consista nella „ bella visione di Dio. Ben è vero però che ci mescolano „ tante favole, da essi per altro credute per vere, che ap„ pena possono riferirsi &c.

Haec confirmat Bernardus Lamy, Commentario in
E harmoniam sive concordiam Evangeliorum l. 4. cap. 16. Persequens enim litteraliter quae Lucae cap. 16. habemus de Lazaro & divite, ad verba *Factum est autem ut moreretur mendicus*, ait: „ Festinat Christus ad id quod intendebat, „ demonstrare meliorem fuisse sortem Lazari quàm divi„ tis, *Et portaretur ab Angelis in sinum Abrahae*. Loquitur Do„ minus juxta opinionem Judaeorum, qui putabant quem„ que statim ac mortuus esset ab Angelis excipi, ad poenam „ si reus esset, ut videre est apud Eliam Levitam in This„ bi, in voce *Chibut*. Rabbi Eliezer interrogatus a discipulis „ de illa re, respondit eis, inquit Elias. *Postquam separatus*
F „ *est homo ab hoc saeculo, venit angelus mortis, & sedet super* „ *sepulcrum ejus &c.* Pios verò credunt Judaei portari in „ Abrahae sinum. Apud illos sinus Abrahae formula lo„ quendi est usitata, qua notant felicem statum defuncto„ rum. Sic dicunt in Thalmude *Hodie in sinu est Abrahae* pro „ *mortuus est*, ac feliciter quiescit in loco beato, quem & „ appellant Edem, idest voluptatis locum, ubi pii expecta„ rent resurrectionem. Hos inter primam sedem tenere „ Abraham meritò credebatur. Sinus igitur Abrahae est „ praecipua in hoc loco dignitas, sive locus secundus. Phra„ sis sumpta est a puerulis, qui parentibus sunt charissimi,


„ quos

„ quos illi in sinu sive gremio fovent, vel a vetusto more A
„ accumbentium mensis, in quibus secundus recumbebat
„ in sinu primi accumbentis, ut deferri in sinum Abrahae
„ sit admitti ad discubitum cum Abraham & Isaac.

Quamobrem mille annorum regni ante resurrectionem assertores, si illud taliter expectabant, ut interim animae suo exutae corpore Dei conspectu orbarentur, profectò deteriùs quam fabulatores & perfidi Hebraei sensissent; & mirâ deformitate regni nomen huic infelicissimo temporis intervallo accommodassent; quod item nulla probabili ratione accommodat Tournely iis Veteribus, quibus adeo monstruosas repugnantesque sententias insedisse declarat, B
Vigilantio excepto, qui tamen, sicuti etiam sui imitatores, hujusmodi temporis intervallo Regni sanctorum nomen non imponit.

Quid igitur de Millenariorum divisione imposterum sentiendum sit, lectores videant; cum mihi interim satis sit detexisse, Divum Augustinum non post generalem resurrectionem, sed ante ipsam regnum mille annorum intellexisse in iis verbis; & rursus rationes ob quas tolerabilis hujusmodi opinio Sancto Patri etiam Episcopo non imprudenter videri poterat. Siquid autem inde non supervacaneum dixi, eos juvet exopto, qui meo exemplo (si tanti esse C
possit) adducti, defensionem aliorum scriptorum primis Ecclesiae saeculis viventium susciperent ab hac nota, quae aliquorum jam veneratam Sanctitatem aliquo modo deturpat. Pudendum enim piis & doctis credo si repromissionem visionis Dei sanctis animabus differant, dum ad hanc unam mercedem per hujus vitae aerumnas & tentationes contenderunt; tum quia tota Scriptura hanc firmissimè praedicat; tum quia hac spe Sancti omnes vixerunt, in eâdemque mundo libentiùs decesserunt; tum demùm quia primis Ecclesiae saeculis ultra Apostolos & Evangelistas, illustris-

D illustrissimum hujus veritatis praeconem providit Deus, gloriosum scilicet Martyrem Caecilium Cyprianum Carthaginensem Episcopum, qui non minus sanguine quàm scriptis Christi illustravit Ecclesiam. Cujus praeclaros labores Augustinum ignorasse, eosque curiositate saltem elocutionis pensandae adhuc laicum non legisse, cùm toties Carthagine fuerit, non facilè adducor ut credam. Probabilius verò aliunde mihi fit, tanti viri lucubrationibus veluti dulci pabulo se catholicum nutriendum curasse; in quibus cùm inter cetera merces Sanctis animabus promissa statim post mortem eluceat, mirum si tanto lumine praeveniente, Au-
E gustinus in tam deformem deciderit caecitatem. Hoc & de aliis Orientalibus, ad quos Africanae Ecclesiae, & ejusdem Praesulum celebris fama pervenire poterat, pronunciandum existimo; vel saltem cum hac prudenti cautione eorundem scripta legenda, ut quidquid obscurum de hac re in ipsis invenitur, duplicem resurrectionem corporum, non animae mercedem retardatam respicere arbitremur; & fortasse cum hac praeconcepta diligentia legentes, multa sanabimus, quae veluti perditè infecta nunc absque curatione deseruntur.



CAPUT

CAPUT QUARTUM

A

Docet Augustinum Papiae sectatorem non fuisse contra definitionem Tournely; nec item Tertulliani. Demum quidquid in opinando terreno mille annorum regno erraverit, Augustinus, non substantiae rei, sed numero annorum tribuendum esse.

VIdimus supra inter sectatores Papiae Divum Augustinum censeri, fundamento dessumpto ab ejus verbis in libro 20. de Civitate Dei. Cùm autem ex eorumdem seria consideratione jam pateat, non inde probari negationem beatitatis Sanctorum animabus conlatae ante judicii diem; quaero num haec culpa, quae ex confessione Sancti Patris non emergit, eidem communicare velit Tournely dicendo quod Papiae sectator Augustinus fuerit: quandoquidem Papiam & Augustinum & Vigilantium & Calvinum & Lutherum sub eâdem millenariorum nomenclatura includit, & omnium istorum opiniones a Conciliis Lugdunensi II., Florentino & Tridentino damnatos docet. Hanc autem fuisse mentem Doctoris Sorbonici nimis apertum est, cùm non nomine tantùm, verùm etiam sententiâ Papiam & Augustinum cum jam dictis haereticis confundat, immò & pejores definiat. Postquam enim errores Papiae commemoravit, quos & Augustino communicat, addit. „ Eumdem cum Millenariis, circa dilatam visionem „ Dei, errorem propugnavit Vigilantius.... Eamdem sententiam Guido in summa de Haereticis, Armenis tribuit: „ in qua etiam versatos esse Graecos patet ex Concil. Florent. sess. 1...... In eumdem errorem abiere Lutherus „ & Calvinus. „ Cumque Vigilantium, Armenos, Graecos, Lutherum, Calvinum pateat visionem Dei Sanctis denegasse usque ad resurrectionem; si isti in eundem errorem

B

C

circa

D circa visionem Dei abiere, cui prius adhaeserat Papias; & quod Papias senserat Augustino placuerat; jam Papias & Augustinus pejora sensere quàm supra recensiti damnabiles haeretici. Isti enim in neganda Sanctis visione Dei usque ad carnis resurrectionem contenti, non etiam illud terrenum Christi in terris regnum per mille annos somniati sunt, quod Papias & Augustinus expectandum docuisse supponitur; unde istis mitiùs desipuissent Lutherus & Calvinus cum aliis. Non ergo Vigilantius cum ceteris in eumdem errorem abiere, in quem Papias & Augustinus, sed in aliquantò mitiorem; & sicut ipsis Millenariorum nota obve-
E nit ex uno capite, denegatae scilicet visionis Dei Sanctis usque ad carnis resurrectionem: ita Papiae & Augustino ex duplici debetur; & ex hac nimirum visione denegata, & ex mille annorum regno somniato post resurrectionem futuro.

Quia autem, pudendâ Cerinthi opinione indicatâ, & illud dicit Tournely, aliud Millenariorum genus fuisse non ita crassum turpe ac impurum, auctore ac duce Papia Hieropolitano; differentia inter Papiam & Cerinthum ea erit, quod hic carnales illicitas voluptates in eo regno posuerit, Papias autem corporeas quidem sed tantùm licitas. Rursus
F quia dixit non solum Papiam in hoc ab impuris millenariis discessisse, sed item ab iis se sequestrasse qui mille annorum regnum ante resurrectionem futurum dicebant; ipse enim istud post generalem resurrectionem volebat; peto quid haec discretio Papiam juvaret? Nam si illi, qui regnum ante resurrectionem putabant, ea sentiebant, quae Vigilantius Lutherus & Calvinus, sanctos nimirum usque ad resurrectionem corporum visione Dei orbatos; etiam istum errorem jam tribuerat Tournely Papiae; & sic Papiae mille insuper annorum regnum post generalem resurrectionem docentis, non culpam minuit, sed auget, errorem errori cumu-

cumulando. Quod ſi Papias hanc privationem viſionis Dei Sanctis ſeparatis animabus uſque ad extremi judicii diem non docebat; quomodo in ejus errorem circa viſionem Dei abiere Vigilantius & alii, qui certè alterum de terreno regno poſt reſurrectionem imitari noluerunt? A

Num haec juſtè Papiae tribuerit Tournely, quem tamen fama & pietate celebrem fuiſſe fatetur, ipſe videat. Num autem, his poſitis, quae ex ſuis verbis emergunt, rectè Auguſtinum inter ſectatores Papiae numeraverit, videamus nunc. Totum fundamentum opinionis Papiae Auguſtino tribuendae ex verbis libri 20. de Civitate Dei petitur; cùmque ex illis neque violenter inferri poſſit Divum B Auguſtinum viſionem Dei Sanctis uſque ad carnis reſurrectionem denegaſſe; immò contrarium inferri debeat ex judicio a Sancto Patre de ea opinione prolato, quam ibidem utcumque tolerabilem dixit; reſtat igitur quod Auguſtinus Papiae ſectator in hoc non fuerit, quandoquidem hoc etiam Papiam ſenſiſſe probaretur. Rurſus Papias de eo expoſtulatur, quod ſenſerit corporum generali reſurrectioni ſucceſſurum illud terrenum Chriſti per mille annos regnum, in quo voluptatibus corporeis non quidem illicitis & impuris, ut Cerinthus, ſed licitis & inculpatis Sancti fruerentur. Verùm cùm Auguſtinus non corporeas C licitas & inculpatas voluptates in eo regno agnoverit, ſed tantum ſpiritales delicias Sanctis affuturas in illo ſabbato dixerit; neque in hoc cum Papiae opinione conveniebat. Demùm, Papiâ illud regnum poſt generalem corporum reſurrectionem docente; Auguſtino verò ex probatis capite praecedenti non poſt generalem hominum, ſed poſt particularem Sanctorum reſurrectionem: nullo modo Papiae ſectator dici poteſt Auguſtinus; niſi illud pro magno ponamus quod in numero annorum tunc cùm iſta opinatus eſt cum Papia Auguſtinus conveniret.

Num-

D Numquid autem ideo Auguſtinum cum Tertulliano opinatum eſſe reſtabit, qui ex annotatione Doctoris Sorbonici ſpiritales delicias in illo regno futuras arbitrabatur; ita ut uno evitato, in alium ſcopulnm impingamus? Porrò, ſi verba attendimus, rectiùs cum Tertulliano ſenſiſſe Auguſtinum, quàm cum Papia dixiſſet Tournely. Sed quia inter Tertulliani errores & illud deputat, quod Martyres a communi aliorum Sanctorum lege excipiebat; eoſque ſolos ſtatim a morte gloriâ donari dictitabat; fortaſſe hunc errorem Auguſtino dare noluit. Sed cur noluit mitiorem, ſi pejorem dabat? Nam Auguſtino Papiae ſectatore declarato, & Papiâ etiam inter illos qui omnibus Sanctis viſio-
E nem Dei uſque ad reſurrectionem denegabant numerato; jam Auguſtinus ſicuti Papias eodem Tertulliano pejora ſenſiſſent. Sed quoniam hujus aſſertionis pro utraque parte fundamenta deficiunt, quia verba Auguſtini, in quibus haec ſuppoſitio ſtabilitur, diverſum a ſuppoſito oſtendunt, ut probavimus ſuprà; communicatio ſententiae, quam indifferenter tribuit Doctor Sorbonicus & Papiae & Auguſtino, non a recto rerum examine, ſed a praeoccupato judicio procedit.

Quoniam verò ex laudatis verbis libri 20. de Civitate
F Dei innegabiliter ſcatet Auguſtinum aliquando pro terreno Sanctorum regno ſtetiſſe: hoc etiam oſtendere in animo eſt, non in hoc omnino erraſſe, ſi ſententiam magis quàm annorum numerum attendamus. Revera (quod caput eſt) in iis etiam libris quos nondum praesbyter ſcripſit, ut fuſiùs infra patebit, illud pro certo ſemper habuit Sanctus vir, animas piorum, qui in hac terra veritatem diligenter ſectati ſunt, eamque exquiſiere fideliter; ſtatim a morte ad hujus apertam revelationem elevari, & ſic Deo frui, in cujus contemplatione beatam incipiunt vitam, numquam amplius finiendam. Si igitur Tournely placet quod

recen-

recenſitis verbis de Civit. Dei; denegatio viſionis beatificae A ad tempus contineatur; jam tempus quo iſta Auguſtinus opinatus eſt, illud praecedit librorum, quos poſt baptiſma elucubravit, qui catholicam fidem in hoc commendant. In quo ſi Tournely mihi conſentiret, haec lis finita eſſet; nihil enim mirum, ſi Auguſtinus, qui Manichaeis adhaeſerat. etiam iſta ſomniaſſet; vel ſaltem (cum non ex iſtis verbis fundamentum deſſumi poſſet tribuendi Auguſtino Sermonis CCLIX.) alterius omninò indolis evaderet quaeſtio.

Sin autem, ut probatum eſt, textus ille hujuſmodi erroneam opinionem non continet, unde Auguſtinum etiam poſt baptiſma ſuſceptum ea opinari potuiſſe credamus, quae B illa verba praeſeferunt: tunc abſque praejudicio firmiſſimae fidei ſuae de beatitate Sanctis conlata ante corporum reſurrectionem, erunt interpretanda.

Hoc igitur pro certo dato, quod ipſe an. 388. libro de quantitate animae c. 14. n. 14. ſcripſit „ Fieri non poteſt „ quadam divina providentia, ut religioſis animis ſeipſos & „ Deum ſuum, ideſt veritatem piè caſtèque ac diligenter „ quaerentibus, inveniendi facultas deſit „: indeque quid animabus corpore expertibus expectandum cognoſceret ſtatim a morte metiendo; eas, hoc expleto temporali in corpore commeatu, ante Dei conſpectum fideliſſimè conſtituiſſe C non dubitemus. Quod inſuper adeo verum eſt, ut animabus quoque Sanctorum in ſinu Abrahae receptis Dei viſionem & participationem contulerit Sanctus Pater, ubicumque ſinus ille fuerit, etiam ante Chriſti manifeſtationem & paſſionem in carne. Quare Evodio, inter cetera innumera loca, ſcribens, abſque haeſitatione dixit „ Unde illis juſtis, „ qui in ſinu Abrahae erant, cùm ille (Chriſtus) in inferna deſcenderet, nondum quid contuliſſet inveni; a quibus „ eum ſecundùm beatificam praeſentiam ſuae Divinitatis „ numquam video receſſiſſe (epiſt. 164. aliàs 99.

Quibus

D Quibus praenotatis & ex mente Sancti Patris jam firmis, quid unquam tam dissonum concepisset, quod meritò veluti infidele improbandum sit, si terrenum illud Sanctorum regnum futurum putasset, non dico ante generalem resurrectionem, sed & post ipsam? Id enim tantò minus a fideli disciplina discedit, quantò verum est, judicium extremum in hac terra, vel saltem in aere terrae atmospheram ambiente faciendum, & ab omnibus credi, & a scripturis intimari. Non solum enim apud Joel habemus *Congregabo omnes gentes, & deducam eas in vallem Josaphat: & disceptabo cum eis ibi super populo meo, & haereditate mea Israel.* Et E rursus. *Consurgant & ascendant gentes in vallem Josaphat: quia ibi sedebo ut judicem omnes gentes in circuitu* (cap. 3. 2. & 12.) verum ex Apostolo & ex Evangelio admonemur, descensurum de coelo Dominum, cùm ad judicium venerit. Paulus enim dixit: *Quoniam ipse Dominus in jussu & in voce Archangeli, & in tuba Dei descendet de coelo, & mortui, qui in Christo sunt resurgent primi. Deinde nos qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aera, & sic semper cum Domino erimus* (1. Thessal. 4. 15.) Matthaeus autem Evangelista dicit: *Cum autem venerit Filius hominis in majestate sua, & omnes Angeli cum eo, tunc sedebit* F *super sedem majestatis suae, & congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab haedis: & statuet oves quidem a dextris suis, haedos autem a sinistris. Tunc dicet Rex his qui a dextris ejus erunt: Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione Mundi &c. Tunc dicet & his qui a sinistris erunt: Discedite a me maledicti in ignem aeternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus.* (25. 31. & seqq.)

Quot autem diebus judicium extremum absolvendum sit Augustinus incertum putavit (de Civit. Dei l. 20. c. 1.) quamvis libro de octo Dulcitii quaestionibus, mox ab adventu

ventu Domini absolvendum fore videri posse ostendat, qui ad hoc creditur venturus. (quaest. 3. n. 2.) Inter quos profectò si plures erunt, vel in eo ipso si unus erit & pro justis regnum incipit, qui etiam judices in judicio sedebunt; sicuti & pro damnatis tormentum. Videntes enim Sancti, statim a resurrectione, quae ictu oculi fiet ex Apostolo, Christum in immortali & glorificato corpore, jam in eis perficitur quod desideraverunt; illum autem intuentes damnati in immortali quidem corpore sed non immutato nec configurato corpori claritatis suae, jam illud sentiunt quod eorum impietati postremum minitatum fuit: *Videbunt in quem transfixerunt*. (Johan. 19. 37.) A

Augustinus autem adeo in terris futurum judicium putabat, ut lib. 20. c. 18. de Civit. Dei ea examinans quae Apostolus Petrus de novissimo Dei judicio praedicaverat, dicat „ Quaerat forsitan aliquis, si post factum judicium „ mundus iste ardebit, antequam pro illo coelum novum „ & terra nova reponatur, eo ipso tempore conflagrationis „ ejus ubi erunt Sancti, quum eos habentes corpora in ali„ quo corporali loco esse necesse sit. Possumus respondere, „ futuros eos esse in superioribus partibus, quò ita non „ ascendet flamma illius incendii, quemadmodum nec „ unda diluvii. Talia quippe illis inerunt corpora, ut illic „ sint, ubi esse voluerint. Sed nec ignem conflagrationis „ illius pertimescent immortales atque incorruptibiles fa„ cti: sicut virorum trium corruptibilia corpora atque mor„ talia, in camino ardenti vivere illaesa potuerunt. B C

Igitur si regnum aeternum pro sanctis in ipso judicio incipiet, & in terris judicium faciendum Augustinus opinabatur; error ejus in terreno Sanctorum regno opinando ad solam quantitatem annorum reducitur, nam revera in terris incipiet; quod nec essentialem beatitatem a die mortis eorum jam coeptam impediet, nec illam adaequatam, quae

D a perfectione hominis, corpore resurgente, promanat: sed fortasse ad aliquam ampliorem delectationem & accidentalem gloriam augendam trahi poterit, quidquid ex loci mutatione Sanctis quisquam probare posset esse accedendum.

Quibus fideliter constitutis & creditis, utrum etiam hoc fieri deberet, ut Sancti glorioso jam recepto corpore, in terris per mille annos cum Domino degerent (quandoquidem probari posset hoc post generalem resurrectionem sensisse Sanctum Patrem), caussam eruditionis nec tunc excedebat ut patet ex auctoritate Divi Hieronymi supra relata; nec
E nunc excedit; si illa consideremus, quae dicit Tournely; absque tamen praejudicio eorum, quae in hac caussa definita reperirentur, quae nondum me vidisse fateor. Ad sanandam enim illam Sanctorum moram in terris, qui cetera fideliter credebant, nec aliquid indecens ei regno miscebant, dicere poterant, tanto tempore Christum cum Sanctis suis in terra regnaturum antequam Coelos cum ipsis ascenderet, ut daemonibus & damnatis hominibus toto hujus temporis intervallo tormentum duraret corporalis ejus conspectus totiusque gloriosae Ecclesiae Sanctorum; quo quidem elapso, ab hac etiam visione in aeternum damnatos excude-
F ret, non ideo tamen minus miseros futuros, quia ea imago per carnis oculos menti repraesentata, in ipsa mente in saecula manebit, ut reminiscentia etiam visae quamvis non gustatae & numquam reparandae gloriae eos angat atque cruciefur. Dicere pariter possent quòd numero annorum mille regni Sanctorum in terris, perpetuitatem aeternam ab hoc numero toties in scripturis, & in textu praecipuè Apocalypsis jam toties laudato indicatam, intelligebant. Quod si aliquis ab aeterna mansione in hac terra nova, Domino praesente offenderetur, probet prius quid loci mutatio Sanctis jam perfectè beatis possit afferre.

Dixi

Dixi quòd haec opinio apud ſobrios eruditionis cauſſam nec nunc excedit; nam Conciliorum definitiones, quas Tournely adducit, aliud ab eo intendunt ad quod ipſe eas trahit. Lugdunenſe enim Concilium II. anno 1274. celebratum in profeſſione fidei haec habet. *Credimus .... illorum animas, qui poſt baptiſma ſuſceptum nullam omninò peccati maculam incurrerunt: illas etiam, quae poſt contractam peccati maculam, vel in ſuis manentes corporibus, vel eiſdem exutae, ſunt purgatae, mox in coelum recipi.* Concilium Florentinum anno 1439. his, majoris claritatis gratiâ, haec adjungit: *Et intueri clarè ipſum Deum Trinum & Unum ſicuti eſt, pro meritorum tamen diverſitate, alium alio perfectiùs.* Concilium Tridentinum ſeſſ. 25. de Invocatione Sanctorum, docet *Sanctos una cum Chriſto regnantes, orationes ſuas pro hominibus Deo offerre .... illos verò qui negant Sanctos aeterna felicitate in coelo fruentes, invocandos eſſe.... impiè ſentire.* A B

Haec praeclariſſimè ſtatum definiunt animarum Sanctarum ante corporis reſurrectionem, & Auguſtinianam ambiguitatem ſolvunt de loco ubi reciperentur, immo & ejus aſſertionem confirmant ubi ſinum Abrahae idem eſſe cum Paradiſo & regno coelorum affirmavit. E contra Auguſtini etiam opinionem damnarent, ſi Sanctis viſionem Dei ſtatim a ſeparatione corporis eum unquam denegaſſe conſtaret; ſicuti certiſſimè damnant in hoc Vigilantii, Armenorum, Graecorum, Lutheri denique & Calvini erroneas & traditioni & fidei Eccleſiaſticae contrarias ſententias. Sed quid de loco ſentiendum ſit, ubi Sancti poſt corporum reſurrectionem primò conſiſtent; quidve poſt hanc in corpore acturi ſint, ea Concilia adductis locis non definiunt; quare nec regnum Chriſti in terris futurum improbant, & idcircò opinionem hanc quae Auguſtino aliquando inſedit, non damnant. C

Quod ſi occaſio fuiſſet ut haec etiam quaeſtio dirimere-

 tur,

D tur, improperassent profectò, ut mihi videtur, spatium illud annorum mille, dum pro finiendi temporis mensurâ poneretur, eodem etiam Augustino meliora sentiente auctore; sed spiritales delicias Sanctis affuturas non denegassent; quae item corporales dici sapienter possunt, nam a corpore in melius immutato animae promanant. Enim verò etiam nos aliquas corporeas delicias in resurrectione fideliter expectamus, quas item agnoscit Tournely cum ceteris Theologis in secunda observatione superius pag. 13. transcripta, docens beatitudinem Sanctorum saltem extensivè augendam fore post resurrectionem ex unione scilicet animae
E cum suo corpore. Tunc enim, ut opinor, videbit anima etiam exteriùs & carnalibus oculis Christi corpus gloriosum, cetera item Sanctorum corpora, ex quorum perfectiori claritate quantitatem gratiae & gloriae earundem mentium cognoscet, ut praeclarè docet Divus Thomas (p. p. q. 57. art. 4.) Tunc insuper corporales voces collaudantes Deum proferet, & in aliis proferentibus audiet, quas non de solis Sanctis hominibus intelligendas vult Sanctus Augustinus, sed etiam de Angelis, hanc ipsam quaestionem solvens a Sancto Paulino sibi propositam epistolâ 95. aliàs 250. n. 8., ubi de eorundem corpore multa di-
F cit. Hinc visûs & auditûs corporales delicias jam noscimus; quas item ad odoratum extendere facillimum est, propter fragrantiam Sanctorum corporum, qua cum etiam in terris illorum aliqua donare dignetur Deus, destituenda in illa Coelesti Jerusalem non credo: item ad tactum ex ea delectatione quam quisque in se experietur carnem propriam & veram, sed non amplius mortalem, neque fragilem neque caducam, neque reluctantem sentiendo. Gustus solus intermitti fortasse potest, non quia hoc sensu carebunt Sanctorum corpora, sed quia nec indigentia erit, nec occasio veritatem corporis comprobandi per manducationem,

quae

quae ideo tantum a Domino poſt reſurrectionem, & ab A
Angelis dum Abrahae apparuerunt verè facta eſt: quia in illa Eccleſia ex ſolis bonis & ſanctis conſtituta, nemo de veritate oſtenſorum dubitabit etiam ex propria peculiari experientia.

Quas porrò futuras delicias corporales agnovit etiam Sanctus Auguſtinus ex jam dictis, quamvis in loco toties commemorato de Civitate Dei, non corporeas ſed ſpiritales delicias ſanctis affuturas in corporum reſurrectione dixerit. Ideo enim ſpiritales dixit, vel ex objecto ad quod omnia referentur a Sanctis, Deum in ipſis corporalibus deliciis, uti auctorem & datorem collaudando; vel ideo B
quia corpus ipſum ſpiritale ab Apoſtolo dicitur, quamvis corpus; vel quia etiam hoc nomine ſeparari volebat ab iis, qui corporales voluptates ei regno tribuendo in immoderantiam poſtea atque immodeſtiam prolabebantur. Ceterùm ſi corporales non eſſent, quamvis ſpiritales dicantur, nihil accederet animae per corpus, quo ante corpus jam non frueretur.

Haec dixiſſe volui, non ſolum ut Auguſtini opinio (etiamſi hoc terrenum Sanctorum regnum poſt generalem reſurrectionem intellexiſſet, quod tamen non eſt, ut probavimus ſupra Cap. III.) ex iiſdem verbis unde ab aliqui- C
bus veluti maximus error effertur, in ſua parvitate detegatur: verùm etiam ut inde lectores cognoſcant quid probandum incumbat antequam alicui veteri de cetero probato & fideli ſcriptori, millenariorum nota infigatur; unde & alios Eccleſiae ſcriptores & Sanctos defendere aliquis aggrediatur, quos Tournely abſque excuſatione Millenariis adjudicavit; ſi ex eorum collatione doctrinae illa ſtabiliri poſſe cognoſcet, quae interim pro Auguſtino jam a me ſtabilita ſatis eſſe confido

Ad propoſitum revertens; quis unquam credet quòd

D ſi verba l. 20. c. 7. de Civitate Dei non ſatis ſunt ad probandum Auguſtinum millenarii nomen mereri, nec Nepotis, nec Papiae, nec Tertulliani ſectatorem fuiſſe; nec demùm in ea quae illa verba produnt opinione, ſupinè erraſſe: quis, inquam, credet, quod eadem illa verba recto fundamento eſſe poſſint ad tribuendum Sancto Patri Sermonem CCLIX.? Nam, ut videbimus infrà, ſi hic ſermo Auguſtinianus eſſet habendus, non ſolum Millenarius fuiſſet Auguſtinus, quia viſionem Dei Sanctis diſtuliſſet ad reſurrectionem corporum; ſed item in illorum etiam ſectam magis erroneam incidiſſet, qui juſtos cum impiis in
E eodem receptaculo detineri exiſtimabant uſque ad judicii diem, quod neque Lutherus, neque Calvinus, neque audaciſſimus Vigilantius aſſeruit. Qui quamvis ut Poeta in re Theologica loqui geſtiret; juſtos tamen in refrigerio & liberâ honeſtâque cuſtodiâ in fortunatorum inſulis & campis Elyſiis recludebat, quos etiam Ethnici a ſceleratis diſcretos ſorte & loco credebant. Quam impudentiſſimam commixtionem cùm Nepoti & Papiae nemo imputet, eamque Tertullianus impugnaverit, ambobus Auguſtinus deterius ſenſiſſet; unde non illorum ſectator, ſed pejoris erroris aſſertor haberetur.

F Et quamvis poſt jam dicta quaſi ſuperflua videatur diligentior inquiſitio; cuique enim ſobrio ſatis eſſe poteſt cognoſcere quòd verba illa de Civit. Dei non probant hunc ſermonem Auguſtini fuiſſe, quandoquidem in eo erronea doctrina contineatur (quam Maurini & Tournely in eo inveniunt, inde enim Millenariorum fautorem Divum Auguſtinum pronunciant): operae tamen pretium legentibus fortaſſe videbitur, ſi idem ſermo ad examen revocetur, & Sancti Patris fundatâ doctrinâ propoſitâ antequam ad presbyteratus gradum elevaretur, cui conſentanea ſcripſiſſe etiam in presbyteratu videbimus; ſermonem illum

a ſua

a ſua fideli & conſtanti doctrina alienum, tanto nomini abripiamus. Jure enim mirandum eſſet, ſi quiſquam ſit, qui mentem illam altiſſimis contemplandis rebus atque diſcutiendis, Dei ſingulari favore prae ceteris idoneam, in tanti momenti re, non profeciſſe ex aetate & Scripturarum lectione, ſed immo defeciſſe arbitretur; ita ut meliora ſenſiſſe Auguſtinum appareat antequam presbyter eſſet ordinatus; deteriora verò tanto caractere inſignitum, atque ad verbum Dei populis miniſtrandum, non ultrò intruſum, ſed Sanctiſſimi Epiſcopi ſententiâ deſignatum.



D

CAPUT QUINTUM.

Examinantur capita, quibus Maurini Sermonem CCLIX. Auguſtino dederunt; & indicatâ Sancti Patris doctrinâ ante preſbyteratum, oſtenditur meliori fundamento negari potuiſſe ut ſuum. Alia item producuntur, quibus cunctatio in hoc opere Auguſtino tribuendo, laudabilior comprobatur.

IIs igitur per me viſis, quae Tournely commemorat de Sermone CCLIX., ejuſque ad ea reſponſionibus; magno ſtudio exarſi totum hunc ſermonem conſpiciendi.
E Cùmque in editione Auguſtini, qua tunc utebar, deeſſet, Editionem Novam Operum ejuſdem, quae Cremonae nondum erat, emi; tum ut deſiderio meo in hac re ſatisfacerem, tum etiam ut viderem, num Sermo CXXXVII. de Tempore (quem unum pro ſe citat Divus Thomas & cum eo ceteri Scolaſtici, ut animas Sanctorum Patriarcharum ante Chriſti paſſionem in doloribus conſtituat, cauſsâ deſſumptâ a reatu originalis peccati ipſis adhuc incumbente quo ad excluſionem a vita gloriae) a clariſſimis & diligentiſſimis Monachis Maurinis Auguſtino adjudicaretur;
F qui mihi multis & magni ponderis rationibus, ſpurius & illâ mente indignus videbatur. Nec inficiari poſſum magnâ me ſubito laetitiâ perfuſum, cùm illorum de eo brevem quidem ſed ſatis rectam cenſuram conſpexi, rationibus adductis, quibus Auguſtini nomen huic conſarcinato ex variis auctoribus, & minus ſecum cohaerenti ſermoni abripiebatur, illum in appendicem rejiciendo ſub numero CLX. poſt Lovanienſes, qui hactenùs illum appendici adjudicaverant ſub numero LII.

Sermonis igitur CCLIX., de quo nunc agitur, lectionem inſtituens, ſtatim conſpexi, doctiſſimos viros in hoc tribu-

endo

endo Sancto Patri non tam auctoritatem Jacobi Sirmondi A
Societate Jeſu eruditiſſimi presbyteri eſſe ſecutos, qui primus omnium ex antiquis Manuſcriptis hunc veluti Auguſtinianum protulit, ſed potiſſimum fundamentum ſumpſiſſe ex confeſſione illa Auguſtini, quam in nota (b) n. 1. ad eundem ſermonem excribere optimum duxere per haec verba. „ Additur hic *in terra* auctoritate Vaticani MS. Ceterum de illo regno & ſabbatiſmo Sanctorum in terra post reſurrectionem, quem mille annos duraturum putabant, mutuâ ſententiâ ſic demum loquitur Auguſtinus in lib. 20. de Civit. Dei c. 7. *Quae opinio eſſet utcumque tolerabilis, ſi aliquae deliciae ſpiritales in illo ſabbato affuturae Sanctis* B
„ *per Domini praeſentiam crederentur: nam etiam nos hoc opinati fuimus aliquando.*

Ut autem quid in recenſendis Auguſtini ſermonibus ſibi propoſuerint ampliſſimi Patres agnoſcerem, prefationem adii Tomi V., ubi haec habent. „ Nobis etiam operae pretium eſſe viſum eſt, ſtudiosè ſermonum Doctrinam examinare, utrum ſcilicet cum Auguſtiniana ſive in Fidei ac morum dogmatis, ſive in ſcripturae expoſitione ac uſu congrueret: obſervatis tamen iis capitibus, in quibus aut ſententiam, aut loquendi rationem, ſicut aliorum ejus operum probat retractatio, mutavit. Quamobrem Ser- C
„ monem CCLIX. v. g., licet in eo Sanctorum poſt reſurrectionem Sabbatiſmus ac Regnum doceatur, non tamen ex albo Auguſtinianorum fuit expungendus, quando Vir Sanctus l. 20. c. 7. de Civit. Dei, in ea ſe fuiſſe aliquando ſententia fateatur.

Certiſſimam porrò regulam eos elegiſſe fateor in collatione doctrinae, & uſus ac expoſitionis ſcripturarum; ſed metuo quòd non iis omnibus animum adjunxerint, quae doctrinae & uſui ac expoſitioni ſcripturae hujus ſermonis, contraria reperiuntur in illis etiam libris, quos nondum presbyter

D sbyter ſcripſit. Inde tamen, ni fallor, inferre licebat numquam in elaboratis operibus ſuis neque pro mitiori millenariorum ſententia aliquid dictaſſe Sanctum Doctorem, quia in libris Retractationum (in quibus quandoque invenitur eum retractare quae memoriae occurrebant minùs bene dicta, quamvis ubi ea ſcripſerit non recordaretur) nihil de hac re videre continget. Idque eò clariùs elucet, quia in universali Indice, ubi omnia, quae Auguſtinus in operibus ſuis docuit, veluti ad capita revocantur, cui efformando diligentiſſimam Maurini adhibuere curam; unus tantum locus ex hoc ſermone petitus pro ſabbatiſmo & regno Sanctorum in terris, recenſetur. Satis ſanè hic unus locus eſ-
E ſet ad hanc maculam Auguſtinianae doctrinae infligendam; ſed quia non alibi in operibus ſuis concordantem aut affinem ſententiam datur invenire; hoc & ego pluſquam ſatis eſſe opinor, ut ſaltem in claſſe, quae dubios continet collocaretur, eo praecipuè attento quòd verba Sancti Patris de Civit. Dei tolerabilem quamdam ſententiam, eodem Auguſtino jam Epiſcopo judice, indicant, ideoque multò diverſam ab illa, quam continet ſermo, quae omninò intolerabilis eſt, & deteriorum millenariorum ſingularis.

Et quamvis verum ſit quòd Sermonum & epiſtolarum
F retractationes deſint, quas morte praeventus perſequi non potuit Sanctus Pater, quamquam id etiam opus meditaretur, ut patet ex epiſtola 224. n. 2. ad QuodvultDeum; ideoque minor in omnibus culpa appareat, ea tribuendo Doctori eximio, quae in hoc genere ſua fortaſſe non ſunt: attamen in illis recenſendis hinc ſcrupuloſior collationis doctrinarum neceſſitas oritur, laudabiliorque in aſſerendo cunctatio. Non enim magna res populis Chriſtianis abripitur, ſi ſermonem alterum, aut omninò Auguſtini non eſſe, aut omni ſecluſa dubitatione ſuum dici non poſſe aſſeratur; quandoquidem vel ad dubitandum, vel ad negandum non infi-

mi

mi momenti rationes proferantur in medium. Quod etiam A
praeſtitiſſe accuratiſſimos Monachos, omni ſecluſo ſcrupulo, & ſolis ſolidioris critices legibus innixos, videre eſt ex appendice ad Tomum V., quae tercentos decem & ſeptem ſermones continet aliàs Auguſtino tributos; tum etiam ex Claſſe V., quae ſermones triginta exhibet, quos verè Auguſtini eſſe aſſerere dubitaverunt viri doctiſſimi: quibus ſi etiam Sermo CCLIX. acceſſiſſet, nihil inde minus Chriſtiana reſpublica habuiſſet.

Dubitationis autem momenta quàm diligentiſſimè quaerenda cenſeo, ubi in illud diſcriminis adducimur, ut aliquo opere veluti genuino alicujus Sancti Patris pronunciato, B
ejuſdem pura & conſtans & orthodoxa doctrina non labefactetur. Illud verò non ad dubitandum, ſed item ad negandum maximum eſſe momentum quiſque viderit in re propoſita, ſi ideo ſermonem iſtum Auguſtini non eſſe cenſeatur, quia firmae, orthodoxae & praeclarae doctrinae ſuae etiam antequam presbyter fieret, evidentiſſimè adverſetur. Haud difficile erat invenire, quae ipſe in libro de Vera Religione docuit n. 108., quem nondum presbyter ſcripſit anno circiter 390., & iſto ſanè magno fundamento Sancto Patri hujuſmodi opus abnegare. „ Non ſit nobis, inquit, „ Religio cultus hominum mortuorum, quia ſi piè vixe- C
„ runt, non ſic habentur, ut tales quaerant honores, ſed „ illum a nobis coli volunt, quo illuminante laetantur me„ riti ſui nos eſſe conſortes. „ Vide profundum ex tunc Doctorem! Pauca haec verba, non ſolum dubitationem omnem excludunt de gloria Sanctis poſt mortem conlata ante corporis reſurrectionem, ſed & de eis invocandis admonent, & quomodo preces noſtras ipſi videant, praeclariſſimè oſtendunt. In illo enim vident, quem a nobis coli volunt, quo illuminante, ideſt preces noſtras ipſis patefaciente, laetantur, meriti ſui nos eſſe conſortes. Ideo ſequitur

n. 112.

n. 112. „ Quisquis in illo manet (scilicet Deo) & potest
D „ humanas preces sentire, in illo me exaudit. Quisquis „ ipsum habet bonum suum, in ipso me adjuvat.„ Haec amplissima doctrina atque sanctissima satis profectò convincit, Augustinum vix Christi baptismate indutum, talia ex ejus gratia didicisse, a quibus appareat ad orthodoxam fidem ceteros docendam ex tunc electum a Deo fuisse. A qua si eum postea defecisse credamus; de misericordia auxilioque Dei, qui numquam deest invocantibus eum, & de ipsius cooperatione ad divinae gratiae munera, parum conscii videbimur. Memini quidem eum de suo profectu per
E aetatem & assiduos labores, divinarumque Scripturarum numquam intermissam lectionem, laudem Deo dare; quod verò a bonis semel apprehensis defecerit, deteriora sectando, non memini; se immo in illorum numero conari esse gloriatur, qui proficiendo scribunt, & scribendo proficiunt (epist. 43. aliàs 7. n. 2.)

Illum insuper in dicenda sententia de rebus aliqualiter dubiis, cautissimum, & non haebetudine sed prudentiâ tardum omnia opera sua ostendunt, & ea prae ceteris, quae de origine animae in pluribus libris & epistolis; & de simultanea rerum creatione in duodecim de Genesi ad litteram
F excellentissimis libris conscripsit. Hic porrò alter caracter erat, quo impugnaretur Sermo CCLIX., in quo definitivam sententiam pronunciat a recta fide omninò diversam; quam non emisisset Sanctus Pater juxta morem suum, si dubiam rem agere cognovisset; si verò certam, non uno loco commemorasset. Quod item probari poterat ex frequentissimo ejus modo loquendi, quando, ut saepius ait, nondum invenerat quid ex scripturis certi proferret. Exemplum suppeditant ejus verba in explanatione Psalmi 85. ad versum *Eruisti animam meam ex Inferno inferiori*. Ait enim „ „ Quod dico, Fratres, hoc si non vobis tamquam certus expoluero,

„ posuero, ne succenseatis. Homo sum enim, tum & quan- A
„ tum conceditur de Scripturis sanctis, tantum audeo dice-
„ re, nihil ex me..... Ergo, Fratres, sive illud, sive illud
„ sit, me scrutatorem verbi Dei, non temerarium affirma-
„ torem teneatis. E' contra cum certam & aedificationi
congruam rem agebat, eam saepissimè inculcabat, cujus
moris exempla inferiùs multa occurrent.

Alteram non infimam conjecturam, ut hic sermo non
tam citò veluti Augustinianus inspiceretur, suppeditant
verba ejusdem Sancti Patris, quibus admonet, qua cautione
cum populo concionatores uti debeant; & tantò magis,
quia ex libro, quem nondum presbyter scripserat, eruuntur, „ B
„ Quod etiam temporibus, inquit, novi Populi a magnis
„ & spiritualibus Viris Ecclesiae Catholicae alumnis video
„ cautissimè provideri: Ne quid populariter agant, quod
„ nondum esse temporis, ut cum populo agatur intelligunt:
„ alimenta lactea largè avidis infirmioribus pluribus, atque
„ instanter infundunt, validioribus autem cibis cum sapien-
„ tibus paucis vescuntur. (de vera Relig. c. 38. n. 51.)
Hac igitur praemunitum cautâ providentiâ Augustinum
nondum presbyterum, quis postea credat presbyterum talia
voluisse populo propinare, qualia sermo continet, de quo
disputamus, etiamsi eadem privatim apud se certa & ma- C
nifesta teneret? Numquid obliviscimur quantum ille timue-
rit sanctum presbyteratus ministerium, ad quod invitus
elevatus est? quantà item diligentiâ, & oratione, & divi-
narum rerum studio se ad illud paraverit, cùm jam sciret,
Valerium in ejus ordinatione id cogitasse potissimùm, ut
sibi curam ministrandi populo verbum Dei demandaret?
Numquid cum ille eidem Valerio de hac re scriberet „
„ Auderem enim dicere scire me & plena fide retinere
„ quid pertineat ad salutem nostram. Sed hoc ipsum quo-
„ modo ministrem ad salutem aliorum, non quaerens quod
„ mihi

D „ mihi utile est, sed quod multis ut salvi fiant? (epist. 21. aliàs 148. n. 4.) praemium igi orabat, quod vitâ bonâ in mundo peractâ, statim consequitur extra mundum servus fidelis? Quam tamen ne amitteret aeternam vitam „ „ cui uni Christiana corda humilia & mansueta suspi- „ rant „ ut ibidem ait, inducias petebat, ut se orationibus, & scripturarum studio pararet, ne improvidus tantum munus susciperet. Probabiliter vel jam viderat, vel in suo secessu vidit, quae in Ecclesiastico habemus: *Timenti Dominum benè erit in extremis, & in die defunctionis suae benedicetur.* Et paulò post. *Timor Domini scientiae religiositas. Religiositas*
E *custodiet, & justificabit cor: jucunditatem atque gaudium dabit* (cap. 1.) quibus perspicuè prompta retributio fidelibus promittitur.

Schisma item Donatistarum, quod tunc temporis quando Augustinus presbyter ordinatus fuit Ecclesiam vexabat; illum magis attentum reddere debebat, ne dubia, & multò minus quae destructionem potius, quàm aedificationem importarent, cum populo ageret; ne novitate doctrinae aut populus scandalum pateretur, aut Donatistae hanc Augustino novitatem objicientes, robur illud invictum, quo illis bellum vix presbyter indixerat, infirmarent. Tantoque
F magis cavendum erat, ne verbis quidem cum haereticis aliquatenus conveniret; quia etiam Donatistae Ecclesiam suam *sine macula & ruga* nunc esse contendebant; & similitudine frumenti a palea separati saepius utebantur. Tam igitur periculosum erat haec concedere Donatistis, quàm Ecclesiam sine macula & sine ruga ad finem saeculi absolutè differre, ut sermo docet controversus. Augustinus verò semper contra eos, & hîc Ecclesiam sine macula & sine ruga esse non posse asseruit, vel quia boni malis commixti in communione vivunt sacramentorum; vel quia quotidiè committimus unde non perperàm dicamus *dimitte nobis debita*

nostra

noſtra: animas autem corpore in ſanctitate exutas talem jam quotidiè Eccleſiam condere & augere; quae demum A in fine ſaeculi ſine macula & ruga apparebit, cùm paleis a frumento ſeparatis in reſurrectione mortuorum, juſti in regnum elevabuntur, impii detrudentur in ignem.

Pro multis quae afferre poſſem, unum praeclariſſimum locum eligo ex epiſt. 185. aliàs 50. n. 38. ad Bonifacium Comitem. „ Abſit autem, ut quiſquam noſtrum ita ſe „ juſtum dicat, ut aut ſuam juſtitiam velit conſtituere, ideſt „ quaſi a ſe ipſo ſibi datam, cùm dicatur ei. *Quid enim* „ *habes quod non accepiſti?* aut ſine peccato ſe jactare audeat „ in hac vita, ſicut ipſi in noſtra collatione dixerunt, in eâ B „ ſe eſſe Eccleſiâ, quae jam non habet maculam aut ru„ gam, aut aliquid hujuſmodi: neſcientes hoc in eis com„ pleri, qui vel poſt baptiſmum continuò, vel dimiſſis „ debitis, quae dimittenda in oratione poſcuntur, de hoc „ exeunt corpore: in tota verò Eccleſia tunc futurum, ut „ ſit omninò non habens maculam aut rugam, aut aliquid „ ejuſmodi, quando dicendum erit *Ubi eſt mors victoria tua?* „ *Ubi eſt mors aculeus tuus? Aculeus enim mortis eſt peccatum*. „ Non igitur vel populo parum ſcandali acceſſiſſet, ſi hanc denegatam hìc Donatiſtis Eccleſiam, in fine poſtea tantum ſaeculi etiam pro animabus juſtis primò conſtituen- C dam ab Auguſtino audiſſent; vel parum pertinaciae Donatiſtis accederet, ſi hanc neque in recenter a baptiſmate mortuis agnoviſſet Sanctus Pater; & demum ſi eam opinionem Auguſtino inſediſſe intellexiſſent, qua eam, quam ipſi, negabat hìc Eccleſiam; hìc tamen futuram poſt reſurrectionem carnis taliter apud populum docuiſſet; ut nullibi interim ante reſurrectionem inveniretur.

Sermonem autem illum recentiſſimè a presbyteratu ſuſcepto, & ſic ferveſcente Donatiſtarum diſſenſione, dicere debuiſſe Auguſtinum, ſi tamen aliquando dixerit, illud con-

D convincit, quòd omnino diverſa doctrina & ſcripturarum explicatio & uſus invenitur in libris de Sermone Domini in monte, quos ad annum circiter 393., & ſic ad tertium Auguſtini presbyteri, referunt Maurini. Unde in illa tempora incidiſſet hic ſermo, quibus jam Maximino & Proculejano Epiſcopis Donatiſtis ſcribebat epiſtolas 23. aliàs 203., & 33. aliàs 147., illos ad collationem invitans, ſive oretenus ſecum faciendam, ſive per epiſtolas, ut diſſenſionis capita dirimerentur ratione & Scripturarum auctoritatibus. Ad quae ſi ſe promptum praebebat, ſperabat profectò earundem meditatione qua ſe ad presbyteratum para-
E verat, tantum profeciſſe, ut in quibus Eccleſia ſine ruga & macula, & nunc ſit, & poſtea futura ſit, firma auctoritate & ratione contra eos probaret. Quod ſi Sermonem CCLIX. hoc intervallo ſcripſiſſet, quis umquam credat talia ſentientem Auguſtinum, tanta de ſe prudenter polliceri potuiſſe, dum dicti ſermonis ſententiae adeo in hoc & a recta ratione, & a ſcripturarum repromiſſionibus aberrant? In quo nec plurium ſenſum pro ſe ſtare ſentire poterat Auguſtinus; quoniam retardatae viſionis Dei uſque ad carnis reſurrectionem nonniſi rara veſtigia, & ut opinor incerta, apud alicujus nominis illius aetatis catholicos ſcriptores erit
F invenire; quod inde infero, quia in tot libris & ſermonibus Sancto Patri perperàm adſcriptis, & nunc in appendicem rejectis, nihil de Sabbatiſmo Sanctorum, & regno mille annorum in terris, vel ante vel poſt reſurrectionem in indice ad eoſdem notatum eſt.

Quia igitur non ſine violentia arbitrari licet Auguſtinum a ſuprarelata recta doctrina, quam in libro de vera Religione nondum presbyter profeſſus fuerat, deſciviſſe in altero ex primis duobus ſui presbyteratus annis, & hunc ſermonem in iſtis diceret: multò majorem vim intellectui noſtro facere debemus opinantes, quod poſtquam eandem doctri-

doctrinam sanam & orthodoxam in libris de Sermone Domini in monte repetivit, a recto tramite tantus Vir diverteret, ut adeò contraria non opinaretur modo, sed apud populum de suo definiret. A

Verùm primos sermones quos ad populum vix presbyter initiatus habuit, considerando, qui sunt de Tempore nuno 214. & 216., in iisque sanam doctrinam, & controverso nunc sermoni oppositam inveniendo; patet quòd talis sermo ab Augustino dictus non sit anno 391. Neque anno 393. quo libros de Sermone Domini in monte conscripsit. Remaneret igitur, ipsum a recta intelligentia earundem scripturarum anno 392. desciviffe, quam anno sequenti rursus respuerit, meliora sectando. Sed quia hujusmodi effugium damnant epistola 22. aliàs 64., quae anno 392. scripta datur, & Acta cum Fortunato Manichaeo, quae eodem anno contingunt, aut nullum inveniemus annum, cui Sermonem CCLIX. prudenter assignemus; aut nullum consequenter tempus remanet, quo scripta Sancti Patris hujusmodi careant suspicione. Nam si ejus rectae, scriptaeque sententiae ante presbyteratum non faciunt ut hic sermo ejusdem jam presbyteri non habeatur; nec ejus praeclarè & catholicè dicta in presbyteratu, efficerent ut eidem etiam Episcopo non tribuatur; & demùm eò venitur, ut nihil congruum & firmum illi reponere possimus, qui hunc sermonem ultimum esse eorum, quos ad plebem Augustinus habuit, contenderet; unde tota recta Augustini doctrina in re tanti momenti propter hanc falsam in discrimen adducitur, & veluti retractata suspicatur. His igitur praenotatis, ex quibus Maurinis laudabilis cunctatio consulebatur antequam hoc opus veluti certè Augustinianum definirent, verba integra controversi sermonis inspiciamus, ut rectiùs ejusdem sententias scrutari possimus. B C

D # CAPUT SEXTUM.

„ *Sermo CCLIX. aliàs ex Sirmodianis 19.*
„ *In die Dominica octavarum Paschae.*

„ 1. HOdiernus dies magno sacramento perpetuae fe-
„ licitatis, nobis est. Non enim sicut iste dies
„ transiturus est, sic transitura est vita, quam dies iste signi-
„ ficat. Itaque, Fratres, exhortamur, & obsecramus vos
„ in nomine Domini nostri Jesu Christi, per quem nobis
„ peccata dimissa sunt, qui voluit pretium nostrum esse
E „ sanguinem suum, qui nos indignos qui vel servi ejus dice-
„ remur, fratres facere dignatus est, ut omnis intentio ve-
„ stra, quare Christiani estis, & nomen ejus in fronte &
„ corde portatis, non dirigatur nisi ad illam vitam, quae
„ nobis cum Angelis est futura: ubi perpetua quies, sempi-
„ terna laetitia, indeficiens beatitudo, nulla perturbatio,
„ nulla tristitia, nulla mors. Quam vitam nosse non pos-
„ sunt nisi qui experiuntur: experiri autem non poterunt
„ nisi qui credunt. Si enim exigatis, ut quod vobis promi-
„ sit Deus, demonstremus vobis, non possumus. Sed audi-
„ stis quomodo conclusit Evangelium Johannis: *Beati qui*
F „ *non vident, & credunt*. Et videre vultis, & ego. Pariter
„ credamus, & simul videbimus. Non simus duri adver-
„ sùs verbum Dei. Numquid enim, Fratres, dignum est,
„ ut Christus descendat modò de Coelo, & cicatrices suas
„ nobis ostendat? Ideo illi incredulo ostendere dignatus est,
„ ut objurgaret dubios, & instrueret credituros.

„ 2. Octavus iste dies in fine saeculi novam vitam signi-
„ ficat: septimus quietem futuram Sanctorum in hac terra.
„ Regnabit enim Dominus in terra cum Sanctis suis, sicut
„ dicunt scripturae, & habebit hîc Ecclesiam, quò nullus
„ malus intrabit, separatam, atque purgatam ab omni
„ con-

„ contagione nequitiae, quam significant centum quinqua- A
„ ginta tres illi pisces, de quibus jam quantum memini ali-
„ quando tractavimus. Nam Ecclesia hîc primò apparebit
„ in magna claritate, & dignitate, & justitia. Non ibi
„ libebit decipere, non mentiri, non sub ovis pelle lupum
„ latère. *Veniet enim Dominus*, sicut scriptum est, *& illu-*
„ *minabit abscondita tenebrarum*, *& manifestabit cogitationes cor-*
„ *dium*, *& tunc laus erit unicuique a Deo*. Iniqui ergo non
„ ibi erunt, jam enim separabuntur. Tunc tanquam maf-
„ sa purgata apparebit veluti in area multitudo Sancto-
„ rum, & sic mittentur in horreum coeleste immortalita-
„ tis. Sicut enim frumentum, prius ubi trituratur, ibi B
„ purgatur; èt locus ubi frumenta pertulerunt trituram,
„ ut a palea mundarentur, decoratur dignitate massae pur-
„ gatae. Videmus quippe in area post ventilationem acer-
„ vum palearum ex una parte, & acervum frumenti ex alia.
„ Quo autem palea destinata sit novimus, & quemadmo-
„ dum agricolis faciant frumenta laetitiam. Quomodo ergo
„ apparet in area prius frumentum a palea separatum, &
„ cùm gaudium fecerit post tantos labores inspecta illa
„ congeries, quae latebat in palea, quae non videbatur
„ quando triturabatur, deinde in horreum mittitur, atque
„ in secreto servatur: sic in isto saeculo videtis quomodo C
„ trituratur haec area; sed palea frumento ita permixta
„ est, ut difficilè discernatur, quia nondum ventilata est.
„ Sic ergo post ventilationem diei judicii apparebit massa
„ Sanctorum, fulgens dignitate praepotens meritis, & mi-
„ sericordiam liberatoris sui praesegerens. Et ipse erit se-
„ ptimus dies. Quasi primus dies sit in toto saeculo quod
„ est ab Adam usque ad Noe, secundus a Noe usque ad
„ Abraham, & quomodo jam dividit Evangelium Mat-
„ thaei, tertius ab Abraham usque ad David, quartus a
„ David usque ad transmigrationem in Babyloniam, quin-

D „ tus a transmigratione usque ad adventum Domini nostri
„ Jesu Christi. Ab adventu ergo Domini sextus agitur, in
„ sexto die sumus. Et ideo quomodo formatus est homo
„ in Genesi sexto die ad imaginem Dei, sic & in isto tem-
„ pore quasi sexto die totius saeculi, renovamur in baptismo,
„ ut recipiamus imaginem Conditoris nostri. Sextus autem
„ dies iste cùm transierit, veniet requies post illam ventila-
„ tionem, & sabbatizabunt Sancti & justi Dei. Post septi-
„ mum autem cùm apparuerit in area dignitas messis,
„ fulgor meritumque Sanctorum, ibimus in illam vitam,
„ & in illam requiem, de qua dictum, *Quia oculus non vidit,*
E „ *nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit quae praeparavit*
„ *Deus diligentibus se*. Tunc velut ad caput reditur. Quo-
„ modo enim cùm peracti fuerint isti septem dies, octa-
„ vus ipse est qui primus: sic post terminatas & peractas
„ aetates septem saeculi transeuntis, ad illam immortalita-
„ tem beatitudinemque rediemus, de qua lapsus est homo,
„ Et ideo octavae complent sacramenta infantium. Hinc
„ & ipse septenarius numerus septies multiplicatus facit
„ quadraginta novem: & addito uno tanquam reditur ad
„ caput, & fiunt quinquaginta: qui numerus a nobis usque
„ ad Pentecosten in mysterio celebratur. Qui etiam secun-
F „ dum illam divisionem quadragesimi numeri, cui accedit
„ tanquam merces denarius, diversa ratione idem rursus
„ apparet. Ambae quippe rationes ad eundem quinqua-
„ genarium numerum redeunt. Qui ter multiplicatus
„ propter mysterium Trinitatis facit centumquinquaginta.
„ Addito quippe ipso ternario tanquam teste atque indice
„ triplicationis & Trinitatis, intelligimus Ecclesiam in illis
„ piscibus centum quinquaginta tribus.

„ 3. Sed interim modò donec veniamus ad illam re-
„ quiem, isto tempore quo laboramus, & in nocte sumus,
„ quandiu non videmus quod speramus, & in eremo iter

„ agi-

„ agimus, donec ad Jeruſalem coeleſtem, veluti ad terram A
„ promiſſionis fluentem lac & mel, veniamus: nunc ergo
„ cùm tentationes non ceſſant, bene operemur. Medicina
„ ſemper adſit veluti propè quotidianis adhibenda vulneri-
„ bus. Eſt autem medicina in bonis operibus miſericor-
„ diae. Si enim vis impetrare miſericordiam, eſto miſeri-
„ cors. Si tu negas homini cum tu homo ſis, humanita-
„ tem; negabit tibi & Deus divinitatem, hoc eſt incor-
„ ruptionem immortalitatis, qua nos facit Deos. Non
„ enim a te quidquam indiget Deus: tu autem indiges a
„ Deo. Nihil a te ille petit, ut beatus ſit: tu autem niſi ab
„ illo accipias, beatus eſſe non poteris. Quid ab illo acci- B
„ pis? Neſcio utrum auderes conqueri, ſi ab illo, qui om-
„ nia condidit, acciperes aliquid quod excellentiſſimum
„ condidit. At ille non aliquid ex iis, quae condidit; ſed
„ ſe ipſum tibi dat ad fruendum, ſe ipſum omnium condi-
„ torem. Quid enim ex iis, quae facta ſunt ab illo, pul-
„ chrius & melius eſſe poteſt eo, qui fecit? Et quomodo
„ tibi dabit; an quaſi tuis meritis? Si quaeris quid merue-
„ ris, adtende peccata tua: audi ſententiam Dei in tran-
„ ſgreſſorem hominem latam: *Terra es, & in terram ibis.*
„ Quoniam comminatio praeceſſit, cùm praeceptum da-
„ retur: *Qua die tetigeritis, morte moriemini.* Si peccatorum C
„ meritum quaeris, nihil occurrit niſi ſupplicium. Obli-
„ viſcere ergo merita tua, ne tibi faciant in corde terrorem:
„ aut noli potiùs obliviſci, ne per ſuperbiam repellas mi-
„ ſericordiam. Commendemus nos, Fratres, Deo operi-
„ bus miſericordiae. *Confitemini Domino quoniam bonus, quo-*
„ *niam in ſaeculum miſericordia ejus.* Confitere quoniam ha-
„ bet Deus miſericordiam, & vult peccata donare con-
„ feſſis. Sed affer illi ſacrificium. Miſerere hominis ho-
„ mo, & tui miſerebitur Deus. Tu homo, & alter homo,
„ duo miſeri. Deus autem non eſt miſer, ſed miſericors.

D „ Si autem miſer non misereatur miſerum, quomodo exi-
„ git miſericordiam ab illo, qui nunquam erit miſer? Vi-
„ dete quid dicam, Fratres. Quicunque eſt contra naufra-
„ gum crudelis, verbi gratiâ, tamdiu crudelis eſt, donec
„ contingat illi naufragium. Si autem contigerit, recorda-
„ tus in priſtinam vitam, quando viderit naufragum, per-
„ cutit illum ſimilis aliquando miſeria; & quem non pote-
„ rat ad miſericordiam flectere ſocietas humanitatis, flectit
„ conſortium calamitatis. Servo quàm citò miſeretur, qui
„ aliquando ſervivit. Mercenarium mercede fraudatum
„ quàm cito dolet, qui mercenarius fuit. Homini filium
E „ ſuum plangenti amariſſimè, compatitur, qui aliquando
„ tale aliquid planxit. Ergo quantamvis duritiam cordis
„ humani ſolvit ſimilitudo miſeriae. Si ergo tu, aut miſer
„ fuiſti, aut times ne miſer ſis: (quandiu enim hic vivis
„ & timere debes quod non fuiſti, & meminiſſe quod fue-
„ ris, & cogitare quid ſis) poſitus ergo in memoria prae-
„ teritarum miſeriarum, & in timore futurarum, & affli-
„ ctione praeſentium, non misereris calamitoſi hominis &
„ egentis ope tua; & expectas ut misereatur tibi ille, quem
„ nunquam tangit miſeria? Et tu non das ex eo, quod a
„ Deo accepiſti, & vis ut det tibi Deus ex eo, quod a te
F „ non accepit?

„ 4. Miſericordiam, Fratres mei, omnes qui ituri eſtis
„ ad domos veſtras, & ex hoc vix nos videbimus, niſi per
„ aliquam ſolemnitatem, miſericordiam operamini, quia
„ abundant peccata. Alia requies, alia via non eſt, qua
„ perveniamus ad Deum, qua reintegremur, qua recon-
„ ciliemur ei, quem periculoſiſſimè offendimus. Venturi
„ ſumus in conſpectum ejus: loquantur ibi pro nobis opera
„ noſtra; & ita loquantur ut ſuperent offenſiones noſtras.
„ Quod enim amplius fuerit, hoc obtinebit, vel ad poenam
„ ſi peccata meruerint; vel ad requiem ſi bona opera. Mi-
„ ſericordia

„ fericordia autem gemina est in Ecclesia: una in eo titu- A
„ lo, quo nemo impendit pecuniam, nemo etiam vel labo-
„ rem; altera quae de nobis exigit vel officium operis, vel
„ impendia pecuniae. Illa quae a nobis exigit nihil eroga-
„ tionis vel laboris, in animo constituta est, ut ignoscas ei,
„ qui in te peccavit. Ad hanc eleemosynam impendendam
„ thesaurus tuus in corde tuo est: ibi te explicas coram
„ Deo. Non tibi dicitur Profer sacculum, aperi arcam,
„ resigna horreum: neque hoc tibi dicitur, Veni, ambu-
„ la, curre, festina, intercede, loquere, visita, labora.
„ Stans uno loco, projecisti de pectore tuo quod tenes con-
„ tra fratrem tuum, fecisti misericordiam, nullo sumptu, B
„ nullo labore, sola bonitate, sola misericordiae cogitatio-
„ ne. Nam si dicamus, Erogate res vestras pauperibus, duri
„ videbimur. Certè vel nunc lenes & faciles quando dici-
„ mus, Impendite unde nihil minuetis, dimittite ut dimit-
„ tatur vobis. Dicamus autem etiam istud Date & dabitur
„ vobis. Conjunxit haec Dominus in praecepto, & ita duo
„ misericordiae genera expressit. *Dimittite & dimittetur vobis*:
„ misericordia est ignoscentis. *Date & dabitur vobis*: miseri-
„ cordia est erogantis. Vide si non amplius Deus dat nobis.
„ Tu ignoscis homini in quo te laesit homo hominem:
„ ignoscit tibi Deus, in quo offendisti homo Deum. Nun- C
„ quid enim hoc est hominem laedere, quod est Deum
„ offendere? Ergo plus tibi dedit: quia tu dimisisti, in
„ quo homo laesus est: hoc ille dimisit, in quo Deus of-
„ fensus est. Adtendite aliam misericordiam dispensatio-
„ nis. Tu das panem, ille dat salutem: tu das sitienti
„ poculum liquoris alicujus, ille tibi dat poculum sapien-
„ tiae suae. Numquid ista vel comparanda sunt, quod das,
„ & quod accipis? Ecce quomodo foenerandum est. Si
„ quis vult esse foenerator, omninò non prohibemus: sed
„ illum foeneretur, qui non sit pauper plura & majora

D „ reddendo, & cujus est etiam hoc ipsum qualecumque „ quod ei das, ut amplius meliusque recipias.
„ 5. Illud etiam moneo Sanctitatem Vestram, ut sciatis eum duplam misericordiam facere, qui pauperibus „ sic dat aliquid, ut ipse eroget. Non enim debet esse sola „ benignitas largientis, sed & humilitas ministrantis. Nescio quomodo, Fratres mei, animus ejus, qui porrigit „ pauperi, velut communi humanitati atque infirmitati „ compatitur, quando ponitur manus habentis in manus „ indigentis. Quamvis ille det, ille accipiat, conjunguntur „ minister, & cui ministratur. Non enim jungit nos cala-
E „ mitas, sed humilitas. Abundantia vestra erit vobis, si „ Domino placet, & filiis vestris. Sed de ista terrena abundantia nulla mentio est; quam videtis obnoxiam tantis casibus. Jacet in domo thesaurus quietus, Dominum „ quietum esse non sinit. Timetur latro, timetur effractor, timetur servus infidelis, timetur vicinus malus & „ potens. Quantò plus tenetur, tantò plus timetur. Si „ autem erogas Deo in pauperes, non perdis & securus „ efficeris, quia ipse Deus custodit tibi in coelo, qui & tibi „ necessaria dat super terram. An forte times ne perdat „ Christus, quod illi commendaveris? Nonne dispensato-
F „ rem unusquisque eligit de familia fidelem, cui committat pecuniam suam? Qui etsi habet in potestate non auferre, non tamen habet in potestate non perdere. Quid „ fide Christi prolixius? quid omnipotentia divinius? Nec „ auferre tibi aliquid potest, quia ipse dedit tibi spe quod „ illi dares: nec aliquid perdere, quia universa omnipotens tenet. Reficitis viscera quando agapes facitis. Quia „ videmur nos ministrare, & nostra dantur, & per nos „ dantur, quae nobis Deus dedit. Bonum est, Fratres, etiam manu vestrâ dispensetis: valde gratum „ est Deo. Ipse accipit, & dabit tibi, qui ante tibi quàm
„ deberet

„ deberet quod dares dedit. Debet erogationis officio con- A
„ jungi ministrationis officium. Cum tibi liceat duas mer-
„ cedes habere, quare perdis unam? Sed quisquis minus
„ idoneus est omnibus dare, det pauperibus pro viribus
„ cum hilaritate *Hilarem enim datorem diligit Deus*. Omni
„ pretio comparandum propositum est regnum Coelorum.
„ Non est ut dicat aliquis habens duos denarios idoneum
„ se non esse ad comparandum. Tanto Evangelica illa vi-
„ dua comparavit.

„ 6. Peracti sunt dies feriati, succedent illi conventio-
„ num, exactionum, litigiorum: videte quomodo in his
„ vivatis, Fratres mei. De vacatione dierum istorum B
„ mansuetudinem debetis concipere, non jurgiorum consi-
„ lia meditari. Sunt enim homines, qui propterea vacave-
„ runt per dies istos, ut cogitarent malitias, quas exerce-
„ rent * per dies istos. Petimus vos ut ita vivatis, tanquam *f. post.
„ qui Deo rationem reddituros vos sciatis de tota vita non
„ de solis istis quindecim diebus. Deinde Scripturarum
„ quaestiones, (b) quas hesterna die proposui, & angustiâ
„ temporis impediente, non solvi, fateor me debere. Sed
„ certè quia dies qui sequntur jam exactiones etiam pecu-
„ niae permittunt jure forensi & publico, hoc a me potius
„ exigite jure Christiano. Modò enim omnes solemnitatis C
„ gratiâ veniunt: post istos dies amor legis adducat a me
„ exigi quod promisi. Qui enim dat, per me dat vobis:
„ ipse utique dat omnibus nobis. Novi quippe Apostolum
„ dicentem *Reddite omnibus debita, cui tributum tributum, cui vecti-*
„ *gal vectigal, cui honorem honorem, cui timorem timorem: nemini*
„ *quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis*. Sola dilectio est sem-
„ per reddenda, nemo a tali debito alienus est. Quod enim
„ debeo, Fratres, in nomine Domini redditurus sum. Sed
„ fateor vobis, non officio segnibus, sed exigentibus reddo.
Totum


(b) Quaestiones fortè quae supra in Serm. CIL. tractantur.

D Totum tranſcribere duxi, quia totum oculis legentium ſubeſſe ſupervacaneum non eſt. Quia verò Maurini ſermonem iſtum non ad tempus presbyteratus Auguſtini definiunt, ſed ad epiſcopale quoque eundem referre liberum cuique reliquerunt, unde non ſolum presbyterum erraſſe remaneat, ſed etiam Epiſcopum, quod Doctori Sorbonico non placuiſſe jam vidimus: aliter cum illis quàm cum iſto agendum mihi eſſe videri poterat. Sed quia par culpa tum a Tournely, tum a Maurinis ex ſententiis hujus ſermonis Auguſtino tribuitur, quamvis fortaſſe inter ſe de tempore non conveniant: ideo enumeraturus ego quae videnda
E Maurinis erant ex Operibus Sancti Patris antequam hunc ſermonem ipſi abſque haeſitatione tribuerent, talem ordinem ſequi conſtitui, ut ſana doctrina Auguſtini laici itemque presbyteri diſtinctionem Tournely afficiat; eadem autem illi omninò conſonans, quam in ejus epiſcopatu invenimus, Maurinos admoneat, fundamentum hujuſmodi operis Auguſtino tribuendi ex collatione doctrinae ſemper defuiſſe.

Quibus tamen non parvae excuſationis loco eſſe fateor, tum ſimilitudo verborum & aliquarum item ſententiarum, quae ad mores pertinent, quae in hoc ſermone ex genuinis
F Sancti Patris operibus ab auctore ejuſdem conglomerata ſunt; tum praecedens viri clariſſimi Jacobi Sirmondi judicium; tum demum poſt haec facilis errandi occaſio ex lectione textus l. 20. c. 7. de Civit. Dei, qui in praeconcoepto judicio quod Sanctus Pater in hac re erraverit, ejuſdem erroris confirmationem praeſefert. Quae item Tournely juvant, immo ad ejus amplioris excuſationis momentum additur, judicium a viris doctiſſimis Monachis Congregationis Sancti Mauri de hoc ſermone poſtremò pronunciatum. Ex illo autem textu, unde totum fundamentum judicandi ab omnibus petitum eſt, emergere Auguſtinum aliquando pro

mille

mille annorum regno Sanctorum in terra ſenſiſſe, nec ego A
abnuo: ſed illud nego, quod hoc regnum poſt generalem
corporum reſurrectionem expectaverit dum mille anno-
rum ſpatium pro tempore finiendo accipiatur; quòdque
interim Sanctorum animabus viſionem Dei denegaverit
uſque ad ſuorum corporum reſurrectionem. Credo deni-
que quòd Sermonem CCLIX. nec unquam dictaverit nec
apud populum praedicaverit, utpote qui ceteris erroribus
illum etiam accumulat, animas ſcilicet ſanctas in eodem
receptaculo cum impiis detentas uſque ad judicii diem: dum
nihil his ſententiis conſonum, immo multa omninò contra-
ria etiam in libris invenio, quos nondum presbyter ſcripſit; B
& denique nec ipſe textus de Civitate Dei talia unquam
ſenſiſſe Auguſtinum praeſeferat. Qua ſententiâ a mox reci-
tatis erroribus purgata, dixi & probavi Auguſtinum non
perperam ſcripſiſſe, eos qui ſecum (dum illud opinatus eſt)
mille annorum regnum opinabantur, in utcumque tolera-
bili opinione fuiſſe. Sed ſententias controverſi ſermonis
cum doctrina Auguſtini nondum presbyteri conferamus.

 C

CAPUT

D

CAPUT SEPTIMUM.

Perstringuntur capita doctrinae Sermonis CCLIX., ut quod in iis erroris latet, patescat: mox verá doctriná Augustini propositá nondum presbyteri quae contraria dicto sermoni invenitur; hunc tam fidelis auctoris non esse concluditur.

PRobatum est supra, quod ut quis Millenariorum errore rectè notetur, deneget necesse est visionem Dei Sanctorum animabus usque ad corporum resurrectionem.
E Si enim nudum verbum *sabbatismi*, quo quis utatur satis esset ad hominem millenariorum errore notandum, jam millenarius convinceretur etiam Apostolus, qui sabbatismum relinqui populo Dei docuit dicens (Hebr. 4. 9.) *Itaque relinquitur sabbathismus populo Dei*. Intentionem autem Apostoli rectam fuisse, & doctrinam fidelem, ex contextu convincitur, quo requiem per sabbatismi nomen importatam tunc cuique incipere docet, cum ab hac mortali vita in gratia & fide Christi decedit; ait enim. *Timeamus ergo ne forte relicta pollicitatione introeundi in requiem ejus, existimetur aliquis ex vobis deesse. Etenim & nobis nunciatum est quemadmodum & illis:*
F *sed non profuit illis sermo auditus, non admixtus fidei ex iis, quae audierunt. Ingrediemur enim in requiem qui credidimus quemadmodum dixit: Sicut juravi in ira mea: Si introibunt in requiem meam, & quidem operibus ab institutione mundi perfectis.* Dixit enim in quodam *loco de die septima sic: Et requievit Deus die septima ab omnibus operibus. Et in isto rursum: Si introibunt in requiem meam. Quoniam ergo superest introire quosdam in illum, & ii quibus prioribus annunciatum est: non introierunt propter incredulitatem: Iterum terminat diem quamdam, Hodie, in David dicendo post tantum temporis, sicut supra dictum est: Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra. Nam si eis Jesus requiem praestitisset, nunquam*

de

de alia loqueretur posthac die. Itaque relinquitur sabbathismus populo Dei. Qui enim ingressus est in requiem ejus: etiam ipse requievit ab operibus suis, sicut a suis Deus. Festinemus ergo ingredi in illam requiem. Et post pauca. *Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiae: ut misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno.* A

Cùm igitur Maurini Augustini infelicitatem deflent, qua in Millenariorum errorem inciderat, Sabbathismum Sanctorum in terra docens, nisi intelligunt eum interim visionem intuitivam Dei Sanctis separatis animabus denegasse; immeritò illum veluti Millenarium notant ex his, quae praenotavimus. Si autem illum putabant eo sensu sabbathismum accipere, quo Sanctus Paulus accepit, deflendus non erat, sed immo commendandus; hoc enim verbo quo Doctor Gentium, & Vas electionis utitur, profectò & Augustinus inculpatè uti poterat. Sed quia clarissimi Viri cognoverunt, non apostolicam, sed insidiosam doctrinam & erroneam in Sermone CCLIX. contineri, nec illum Augustino eripere valuerunt; ideo officiosis quidem verbis, opinionem tamen suam de Sancto Patre veluti damnabili Millenario in hoc protulerunt. B

Evidentissimè enim in eo sermone continetur cujusdam generis Millenariorum, atque Vigilantio, Luthero, & Calvino pejorum, sententia qui Justos cum impiis in eodem receptaculo detineri existimabant usque ad finalis judicii diem; & consequenter tam gloriam sanctis denegabant, quàm poenam impiis contra praeclarissima Evangeliorum eloquia. Bis enim repetens quod Dominus *hic in terra* post diem judicii Ecclesiam separatam atque purgatam habebit ab omni contagione nequitiae: quae rursus *primò hic* apparebit; jam negat quòd ante finalem diem Dominus Ecclesiam hujusmodi habeat, (quam tamen conceptis verbis commemorat Apostolus ajens *Ecclesiam primitivorum qui conscripti sunt* C

D *sunt in Coelis*) (Hebr. 12. 23.) & proinde justos cum impiis confusos recognoscit. Qui si a doloribus immunes sunt, jam etiam infernus negatur usque ad resurrectionem; si verò cruciantur etiam loco, quomodo justi immunes erunt a poena, si loco junguntur; ambo autem, justi nimirum & peccatores conveniant in privatione visionis Dei, quae certissimam damni poenam constituit? Hanc autem commixtionem confirmat, ventilationem, qua haec Sanctorum massa purgatur a palea commixta peccatorum diei extremi judicii saepius assignans, post quam frumentum in horreum coeleste immortalitatis mittatur, sicut palea eò quò destinata noscitur collocetur, ut post diem septimum eamus in
E illam vitam, & in illam requiem, de qua dictum est *Quod oculus non vidit &c.* Requiem autem nullam cognoscit nisi post ventilationem diei septimae. Quamvis enim requiem commemoret die sexto transacto, qui procul dubio a septimo excipitur: attamen statim addit *post illam ventilationem* in septimo faciendam; unde nullam requiem justis donat nisi post extremi judicii diem.

Rursus cùm nonnisi post finem septimae aetatis, quae ex Maurinorum consensu durationem mille annorum habebat, Sanctis promittat illam vitam, & illam requiem de
F qua dictum *Quia oculus non vidit &c.*, eosdem Sanctos, etiam post corporum resurrectionem, etiam cùm jam post ventilationem apparet in area fulgor meritumque Sanctorum; etiam postquam ipsi fulgentes dignitate, meritis praepotentes, & misericordiam liberatoris sui praesegerentes, jam ab omni iniquorum commixtione secernuntur, & Ecclesiam constituunt separatam atque purgatam ab omni contagione nequitiae; in beatitudine inadaequata per id mille annorum spatium, quo in terra licet regnantes detinebuntur, esse definit. Cùm enim consummatam atque perfectam beatitatem insinuet ille Apostoli textus, quo utitur auctor sermonis;

monis; si ad hanc, nonnisi post mille annorum intervallum pervenient sancti, profectò nondum quod eos perficiat in resurrectione consecuti sunt, adhuc scilicet expectantes illud de quo dictum *Quia oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis adscendit, quae praeparavit Deus diligentibus se.* Quod adeo verum erat in mente auctoris illius sermonis, ut quasi intentionem suam explicaturus subdat„ Quo„ modo enim cùm peracti fuerint isti septem dies, octa„ vus ipse est qui primus; sic post terminatas & peractas „ aetates septem saeculi transeuntis, ad illam immorta„ litatem beatitudinemque rediemus, de qua lapsus est homo. A

Isti igitur sensus sunt quos in verbis sermonis recognoscere debemus, quandoquidem Augustinus uti millenarius meritò notetur; unde illum deteriorum millenariorum picc tinctum concludendum est. In quo stabiliendo, nihil prorsus juvantur amplissimi Patres a textu l. 20. c. 7. de Civit. Dei, ubi se aliquando fatetur Augustinus opinatum esse non ea, quae ex diligentiori examine hujus sermonis emergunt, sed ea, quae utcunque tolerabilia ipsi jam Episcopo & in ultima aetate constituto adhuc videbantur. Quod si non iste, sed alius sensus a verbis sermonis eruendus est, & qui tot erroneas atque impias sententias non redoleat, eruditionis suae & in Augustinum affectionis ostendendae magnam sanè occasionem invenerant Maurini; si in eo nisus suos contulissent, ut haec sermonis verba cum Apostoli sabbathismo, & cum sana Augustini doctrina componerent; unde nec ipsi primùm, nec lectores postmodum Augustinum errantem in tanta re arbitrarentur. B C

Quod si ad componendam totam Sancti Patris doctrinam cum hoc sermone, difficultas nimia occurrebat, minor sanè occurrisset in indaganda illius doctrina antequam presbyter initiaretur, ex cujus collatione sensus controversi sermonis

D monis ſuſpecti detegerentur, unde inter ſuppoſititios & falſos jure rejiceretur.

Praeclariſſimum jam recenſuimus textum ex libro de Vera Religione, quo Sancti a Deo illuminati docentur, atque in illo noſtras preces audire, & in illo nos exaudiri, & adjuvari monemur. Inde cognoſcimus juſtos ad mercedem contemplandae veritatis ſtatim a morte vocatos, & ab impiis & ſtatu & loco diſſitos crediſſe Sanctum Patrem, contra intentionem controverſi ſermonis. Quod ut evidentiùs explicaretur, haud multâ operâ inveniri poterat alius textus ex cap. 52. n. 101. ejuſdem libri, ubi ſic ait. „ Cavendi
E „ ſunt inferiores inferi, ideſt poſt hanc vitam poenae gra„ viores, ubi nulla poteſt eſſe commemoratio veritatis, quia „ nulla ratiocinatio: ideo nulla ratiocinatio, quia non eam „ perfundit lumen verum, quod illuminat omnem homi„ nem venientem in hunc mundum „ Profectò cùm dixit cavendos, & caveri poſſe ſentit, quod fruſtra dixiſſet, ſi idem locus poſt hanc vitam & impios maneret & juſtos. Inferiores autem inferos palàm hîc intelligit tormentorum locum aeternorum, eos enim eis inferis opponit, in quibus nos eſſe, dum hîc vivimus, cognovit. Graves enim poenas, grave jugum filiis Adae imminere ex ſcriptura didicerat, a
F die, quo egrediuntur ab utero matris ſuae, uſque in diem ſepulturae in matrem omnium (Eccleſiaſtici 40. 1.); ſed cavendas graviores admonet, quae ſtatim poſt hanc vitam in inferioribus inferis peccantes animas afficiunt. A quibus tanto remotiores Sanctos credit, quanto magis intelligit eos ibi eſſe debere, ubi & commemoratione veritatis, & ratiocinatione conſolentur; illo ſcilicet perfuſi lumine, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, quod in iis perficitur poſt mortem, qui illud in hac vita ſectati ſunt, fines rerum deſiderantes.

Unde ſubdit (cap. 53. n. 103.) „ Quare qui fines ipſos „ deſi-

„ desiderant, priùs curiositate carent, cognoscentes eam esse A
„ certam cognitionem, quae intus est, & eâ perfruentes
„ quantum in hac vita queunt. Deinde accipiunt actionis
„ facilitatem pervicaciâ positâ, scientes majorem esse faci-
„ lioremque victoriam, non resistere animositati cujusquam.
„ Et hoc quantum in hac vita queunt, sentiunt. Postremò
„ etiam quietem corporis, abstinendo ab iis rebus, sine
„ quibus agi haec vita potest: ita gustant quam suavis est
„ Dominus: nec erit dubium quid post hanc vitam futu-
„ rum sit, & perfectionis suae Fide, spe, charitate nutri-
„ untur. Post hanc autem vitam & cognitio perficietur,
„ quia *ex parte nunc scimus*; *cùm autem venerit quod perfectum est*, B
„ *non erit ex parte*: & pax omnis aderit; *nunc autem alia lex*
„ *in membris meis repugnat legi mentis meae*; *sed liberabit nos de*
„ *corpore mortis hujus gratia Dei per Jesum Christum Domi-*
„ *num nostrum*, quia ex magna parte concordamus cum ad-
„ versario, dum cum illo sumus in via; & tota sanitas, &
„ nulla indigentia, & nulla fatigatio aderit corpori, quia
„ corruptibile hoc, tempore atque ordine suo, quo resur-
„ rectio carnis futura est, induetur incorruptione. Non
„ mirum autem, si hoc dabitur iis, qui in cognitione solam
„ veritatem amant, & in actione solam pacem, & in cor-
„ pore solam sanitatem desiderant. Hoc enim in eis per- C
„ ficietur post hanc vitam, quod in hac vita plus diligunt.

n. 104. „ Qui verò malè utuntur tantae mentis bono,
„ ut extra eam visibilia magis appetant, quibus ad conspi-
„ cienda & diligenda intelligibilia commemorari debue-
„ runt, dabuntur eis exteriores tenebrae. Harum quippe
„ initium est carnis prudentia, & sensuum corporeorum
„ imbecillitas. Et qui certaminibus delectantur, alienabun-
„ tur a pace, & summis difficultatibus implicabuntur.
„ Initium enim summae difficultatis est bellum, atque
„ contentio. Et hoc significare arbitror quod ligantur eis

D „ manus & pedes, ideſt facilitas omnis aufertur operan-
„ di; Et qui eſurire & ſitire volunt, & in libidinem arde-
„ ſcere & defatigari, ut libenter edant & bibant, & con-
„ cumbant & dormiant, amant indigentiam, quod eſt ini-
„ tium ſummorum dolorum. Perficietur ergo in eis quod
„ amant, ut ibi ſint, ubi eis ſit ploratus & ſtridor den-
„ tium.

Numero verò 106., evidentiùs de vita futura Juſtorum ſermonem proſequens, ait. „ Qui verò benè utitur, vel
„ ipſis quinque ſenſibus corporis ad credenda & praedican-
„ da opera Dei, & nutriendam charitatem ipſius, vel
E „ actione vel cognitione ad pacificandam naturam ſuam,
„ & cognoſcendum Deum, intrat in gaudium Domini
„ ſui. Propterea talentum, qui male utenti aufertur, illi
„ datur, qui talentis quinque benè uſus eſt. Non quia
„ transferri poteſt acumen intelligentiae; ſed ita ſignifi-
„ catum eſt, poſſe hoc amittere negligentes & impios
„ ingenioſos, & ad eam pervenire diligentes & pios, quam-
„ vis ingenio tardiores. Non enim datum eſt illud talen-
„ tum ei, qui acceperat duo, habet enim & hoc, qui jam
„ in actione & cognitione bene vivit; ſed ei, qui accepe-
„ rat quinque. Nondum enim habet ad aeterna contem-
F „ planda idoneam mentis aciem, qui viſibilibus tantùm,
„ ideſt temporalibus credit, ſed habere poteſt, qui horum
„ omnium ſenſibilium Deum artificem laudat, & eum
„ perſuadet fide, & expectat ſpe, & quaerit charitate.

Ne autem aliquis opinari adhuc poſſet, quod Sancto Patri umquam probabile viſum ſit, ut iſtis etiam, qui veritatem & pacem in hac vita quaeſierint, hujus ipſius veritatis & pacis optatam revelationem & gaudium diſtulerit Deus uſque ad finale judicium, in antecedentium textuum praeclara luce caecutiens audiat ipſum in longe diverſam ſpem ſectatores veritatis elevantem. In libris enim de moribus Eccle-

Ecclesiae Catholicae, quos anno 388. nondum presbyter A
elucubravit (l. 1. c. 17. n. 31.) sic ait. „ Nam si sapientia
„ & veritas non totis animi viribus concupiscatur, inve-
„ niri nullo pacto potest. At si quaeratur, ut dignum est,
„ subtrahere sese atque abscondere a suis dilectoribus non
„ potest. Hinc est illud, quod in ore habere etiam vos
„ (contra Manichaeos loquitur) soletis, quod ait. *Petite*
„ *& accipietis, quaerite & invenietis, pulsate & aperietur vo-*
„ *bis. Nil est occultum quod non revelabitur.* Amore petitur,
„ amore quaeritur, amore pulsatur, amore revelatur,
„ amore denique in eo quod revelatum fuerit, permanetur.
„ Ab hoc amore, diligentiâque quaerendi, non deterre- B
„ mur veteri Testamento, quod semper mendacissimè
„ dicitis, sed ad hanc vehementissimè concitamur.

32. „ Audite itaque aliquando & advertite quaeso sine
„ pertinacia, quid per Prophetam dicatur. *Clara est*, in-
„ quit, *& quae nunquam marcescit Sapientia, & facilè videtur ab*
„ *iis, qui diligunt illam, & invenitur ab iis, qui quaerunt illam:*
„ *praeoccupat qui se concupiscunt, ut illis se ostendat. Qui vigila-*
„ *verit ad illam, non laborabit; assidentem enim illam inveniet fori-*
„ *bus suis. Cogitare enim de illa, sensus est consummatus, & qui*
„ *vigilaverit propter illam, citò erit securus, quia dignos seipsá*
„ *circuit quaerens, & in viis ostendit se illis hilariter, & omni* C
„ *providentia occurrit illis. Initium enim illius verissimum, discipli-*
„ *nae concupiscentia est. Cura ergo disciplinae dilectio est, &*
„ *dilectio custoditio legum illius est. Custoditio autem legum con-*
„ *firmatio incorruptionis est; incorruptio autem facit proximum Deo.*
„ *Concupiscentia itaque sapientiae deducit ad Regnum*; ubi vulgata
„ addit *perpetuum*.

Hinc credo didicerat vir Sanctus, quod cap. 11. n. 18. ejusdem libri, non jam haesitans, sed planè definiens quasi corollarium eorum, quae supra disputans docuerat, ait „
„ Secutio igitur Dei, beatitatis appetitus est: consecutio

D „ autem ipsa beatitas. At eum sequimur diligendo, conse-
„ quimur verò, non cùm hoc omninò efficimur, quod
„ ipse est, sed ei proximi; eumque mirifico & intelligibili
„ modo contingentes, ejusque veritate & sanctitate peni-
„ tùs illustrati atque comprehensi. Ille namque ipsum lu-
„ men est, nobis autem ab eo illuminari licet. Aeterna
„ igitur vita (subdit cap. 25. n. 47.) est ipsa cognitio veri-
„ tatis.

„ Quae est autem dicenda sapientia, nisi quae Dei Sa-
„ pientia est? (quod jam docuerat lib. de Beata Vita n. 34.
„ anno 386.„ Accepimus autem etiam auctoritate divina,
E „ Dei Filium nihil esse aliud quàm Dei Sapientiam: &
„ est Dei Filius profectò Deus.„ Et post pauca „ Sed quid
„ putatis esse sapientiam nisi veritatem?.... Quis est Dei
„ Filius? dictum est Veritas..... Quisquis igitur ad sum-
„ mum modum per veritatem venerit, beatus est. Hoc
„ est animo Deum habere, idest Deo frui. „ Et n. 35.
„ Illa est igitur plena satietas animorum, haec est vita bea-
„ ta piè perfectèque cognoscere a quo inducaris in verita-
„ tem, qua veritate perfruaris, per quid connectaris sum-
„ mo modo.„ Facies enim Dei„ quae nobis ab Apostolo
post mortem promittitur „ nihil aliud est, quàm ipsa, cui
F suspiramus veritas„ ut libro de Ordine 1. n. 23. dixit eo-
dem anno 386. ante presbyteratum.

Nimis inconsultum esse suspicari, ab hujusmodi veritatibus ab Augustino tam praeclarè tamq; fideliter explicatis antequam presbyter fieret, eum postea descivisse in presbyteratu, ut sententiam sequeretur, quam sermo nunc controversus propinat. Qui enim justos consecutione veritatis beatos fore post hanc vitam asseruit; qui justis vultum Dei contemplandum fidelissimè promisit; & indigentiam & exteriores tenebras impiis denunciavit; haud Sanctos cum peccatoribus confudisset usque ad extremi judicii diem,

quo-

quominus notissimae & rationabili veritati tunc renunciare vellet, cùm ad populum ejusdem annunciandae minister accessisset. Illud namque necessariò consequens erat, quod si pios homines gloria non exciperet statim post mortem; nec peccatoribus aeterna supplicia obvenirent. A

Id autem expreßè impugnat Sanctus Pater textum explicans Genesis. *Maledicta terra in operibus tuis, in tristitia & gemitu tuo manducabis ex ea omnibus diebus vitae tuae, spinas & tribulos pariet tibi, & edes pabulum agri tui, in sudore vultus tui edes panem tuum.* Hic enim temporalibus doloribus & poenis omnes filios Adae obnoxios esse definiens, hanc inter pios & impios, quibus communes sunt, constituit differentiam; ut pii scilicet hoc brevi commeatu perfecto, pro malis bona recipiant; impii autem vel pro bonis mala, vel post mala temporalia malis obruantur aeternis. Ait igitur l. 2. de Genes. contra Manich. anno 389 „ Sed certè illud „ manifestum est, quod nemo evadat istam sententiam. „ Hoc ipsum enim quod in hac vita quisque natus, difficul„ tatem inveniendae veritatis habet ex corruptibili corpore „ (sicut enim Salomon dicit *Corpus quod corrumpitur aggravat* „ *animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitan-* „ *tem*) ipsi sunt labores & tristitiae, quas habet homo ex „ terra, & spinae, & tribuli sunt punctiones tortuosarum „ quaestionum, aut cogitationes de provisione hujus vitae: „ quae plerumque nisi extirpentur, & de agro Domini „ projiciantur, suffocant verbum, ne fructificet in homine, „ sicut Dominus in Evangelio dicit. Et quoniam necessi„ tate jam per hos oculos & per has aures de ipsa veritate „ admonemur, & difficile est resistere phantasmatibus, „ quae per istos sensus intrant in animam, quamvis per il„ los intret etiam admonitio ipsa veritatis; in ista ergo „ perplexitate, cujus vultus non sudet ut manducet panem „ suum? quod omnibus diebus vitae nostrae passuri sumus, B C

D „ ideſt hujus vitae, quae tranſitura eſt. Et hoc illi dictum „ eſt, qui coluerit agrum ſuum, quia iſta patitur donec re„ vertatur in terram, ex qua ſumptus eſt, ideſt donec fi„ niat vitam iſtam. Qui enim coluerit agrum iſtum inte„ rius, & ad panem ſuum quamvis cum labore pervenerit, „ poteſt uſque ad finem vitae hujus hunc laborem pati: „ poſt hanc autem vitam non eſt neceſſe ut patiatur. Sed „ qui fortè agrum non coluerit, & ſpinis eum opprimi „ permiſerit, habet in hac vita maledictionem terrae ſuae „ in omnibus operibus ſuis, & poſt hanc vitam habebit vel „ ignem purgationis, vel aeternam poenam. Ita nemo E „ evadit iſtam ſententiam, ſed agendum eſt ut ſaltem in „ hac tantum vita ſentiatur „. Cujus textus Geneſeos genuinum ſenſum attigiſſe atque explicaſſe Auguſtinum, auctor antiquior eſt Divus Caecilius Cyprianus, qui eundem perpendens, hanc tantùm mortalem vitam reſpicere docuerat, ajens „ Hujus ſententiae vinculo colligati „ omnes & conſtricti ſumus, donec expuncta morte de hoc ſaeculo recedamus. (de bono patient. 495.)

Priuſquam doctrinam Sancti Patris ante presbyteratum relinquamus, qua ſententiae Sermonis CCLIX. mirabiliter confunduntur in eo quod ſtatum Sanctorum reſpicit poſt F corporis mortem, quaeque ſatis erat nè ſubitò tanquam illius ſermonis auctor publicaretur; addere ſatis aliud, quod eòdem collimat; uſum ſcilicet ſcripturarum, quam nimis diverſum in ſermone invenimus ab eo, qui Sancto Patri perpetuus fuit, ut ex omnibus ſimilibus locis patet. Vidimus igitur ſuprà auctorem ſermonis diei ſeptimae veſperam tribuere, ab hac enim die aetatem ſeptimam ſaeculi tranſeuntis enumerat; quae mille annorum durationem habebat ex Maurinorum annotatione. Contrario modo Auguſtinum ſemper ſe explicuiſſe in omnibus locis ubi de ſeptima die locutus eſt, infra patebit uberiùs. Interim tamen

tamen sat est notare, quod eidem diei septimae vesperam negat nondum presbyter in l. 1. de Genes. contr. Manich. c. 23. n. 35. & seqq., ait enim. „ Post istam vesperam „ (diei scilicet sexti) fiet mane, cùm ipse Dominus in „ claritate venturus est: Tunc requiescent cum Christo ab „ omnibus operibus suis ii, quibus dictum est. *Estote perfecti* „ *sicut Pater vester qui in coelis est*. Tales enim faciunt ope- „ ra bona valde. Post enim talia opera speranda est requies „ in die septimo, qui vesperam non habet.„ Fidelissimè enim retinens scripturarum verba, quae sex antecedentibus diebus vesperam assignant, non item septimae, ipse eidem septimae vesperam negat contra auctorem controversi sermonis. A B

Ne autem ex verbis illis *cùm ipse Dominus in claritate venturus est*, quod diei septimae tribuit, quisquam aliquid elici posse confideret, unde sententia de dilatione visionis Dei animabus sanctis usque ad resurrectionem confirmaretur; notanda sunt quae sequuntur ejusdem libri numero 43., quae praecedentibus lumen suppeditant. Altiore enim allegoria de operibus sex dierum, & de requie septimi disserens, ait: „ Habet etiam unusquisque nostrum in bonis „ operibus & rectâ vita distinctos istos sex dies, post quos „ debet quietem sperare.„ Postquam autem quid cuique conveniat, & hominis in fide & rectis operibus perfectum in hac vita per singulos ennarravit, subdit „ Post istorum „ quasi sex dierum opera bona valde, speret homo quietem „ perpetuam, & intelligat quid sit *Requievit Deus septimo die* „ *ab omnibus operibus suis*: quia, & ipse in nobis haec bona „ operatur, qui ut operemur jubet, & ipse rectè requie- „ scere dicitur, quia post haec omnia opera, requiem „ nobis ipse praestabit. C

Nec ex eo quia in claritate venturum Dominum dixit, ad solum ejus postremum uti Judicis adventum significandum

D dum trahendum eſt; quia nonniſi in claritate ad animam venit Deus, qui Sapientia clara eſt, & in cujus lumine lumen videbimus. Sic & Apoſtoli ſententia *Videmus nunc per ſpeculum & in aenigmate, tunc autem facie ad faciem* (1. Cor. 13. 12.) incongruè ad ſolam finalem reſurrectionem traheretur, dum eandem beatitatem ſeparatarum animarum evidentiſſimè proponit fidelibus; de quo infrà fuſiùs differemus.

Quod ſi adhuc majora deſiderarentur ad cognoſcendam Sancti Patris intentionem circa ſeparatarum animarum beatitatem, die ſeptimo & ante corporum reſurrectionem E conſequendam, legamus, quae libro de Vera Religione cap. 26. n. 49. in hanc rem dixit. „ Hunc autem hominem, „ quem veterem & exteriorem, & terrenum deſcripſimus, „ ſive in ſuo genere moderatum, ſive etiam ſervilis juſti- „ tiae modum excedentem nonnulli agunt totum ab iſtius „ vitae ortu uſque ad occaſum. Nonnulli autem iſtam vi- „ tam neceſſariò ab illo incipiunt, ſed renaſcuntur inte- „ riùs, & ceteras ejus partes ſuo robore ſpirituali, & incre- „ mentis ſapientiae corrumpunt & necant, & in coeleſtes „ leges, donec poſt viſibilem mortem totum inſtauretur, „ adſtringunt. Iſte igitur novus homo, & interior & coe- F „ leſtis, habens & ipſe proportione non annis ſed provecti- „ bus diſtinctas quaſdam aetates ſuas. Primam in uberibus „ utilis hiſtoriae, quae nutrit exemplis. Secundam jam „ obliviſcentem humana, & ad Divina tendentem; in qua „ non auctoritatis humanae ſinu continetur, ſed ad ſum- „ mam & incommutabilem legem paſſibus rationis inniti- „ tur. Tertiam jam fidentiorem, & carnalem appetitum „ rationis robore maritantem, gaudentemque intrinſecùs „ in quadam dulcedine conjugali, cùm anima menti copu- „ latur, & velamento pudoris obnubitur, ut jam rectè „ vivere non cogatur, ſed etiamſi omnes concedant, peccare

care

„ care non libeat. Quartam jam idipſum multò firmiùs
„ ordinatiùſque facientem, & emicantem in virum per- A
„ fectum, atque aptam & idoneam omnibus & perſecutio-
„ nibus & mundi hujus tempeſtatibus ac flùctibus ſuſti-
„ nendis atque frangendis. Quintam pacatam atque &
„ omni parte tranquillam, viventem in opibus & abbun-
„ dantia incommutabilis regni ſummae atque ineffabilis
„ ſapientiae. Sextam omnimodae mutationis in aeternam
„ vitam, & uſque ad totam oblivionem vitae temporalis
„ tranſeuntem in perfectam formam, quae facta eſt ad
„ imaginem & ſimilitudinem Dei. Septima enim jam
„ quies aeterna eſt, & nullis aetatibus diſtinguenda beati- B
„ tudo perpetua. Ut enim finis veteris hominis mors eſt,
„ ſic finis novi hominis vita aeterna. Ille namque homo
„ peccati eſt, hic juſtitiae.

Haec pauca ſunt ex multis, quae lector ex ſe deteget, ſi jam laudatos Auguſtini libros attentè atque amanter meditabitur, & alios item, quos nondum presbyter, ſed jam verè fidelis & Chriſtum indutus, & ejus doctrinam aſſecutus vigilantiſſimè ſcripſit. Quae cùm confundant & damnent Sermonis CCLIX. erroneas opiniones; ex hoc capite jam patet, quod opus illud injuriâ Sancto Patri & Doctori eximio tribuitur. C



CAPUT

D

CAPUT OCTAVUM.

Proponitur doctrina Augustini in primo presbyteratus anno, quae sententias controversi Sermonis evidentiùs confundit.

SErmonem CCXIV., qui nunc primùm ex Remigiano MSſ. operâ diligentiſſimorum Monachorum Sancti Mauri prodiit, unum ex illis eſſe, quos Auguſtinus vix presbyter ad populum habuit, eorundem ſolida opinio eſt, quae item ab ejuſdem ſermonis exordio confirmatur, ubi

E ait,„ Pro modulo aetatis rudimentorumque noſtrorum, pro „ tyrocinio ſuſcepti muneris atque in vos dilectionis affe- „ ctu, qui jam miniſtrantes altari, quò acceſſuri eſtis adſi- „ ſtimus, nec miniſterio ſermonis vos fraudare debemus„ Hujus igitur praecipuè doctrinam fuiſſe inſpiciendam opinor, num cum illa controverſi ſermonis concordet, veluti primo mentis illius foetu apud populum. Quam ego conferens, praeclariſſimam ſententiam ibidem invèni, qua Auguſtinus plebem jam ſatis inſtructam demonſtrat de prompta retributione juſtorum atque iniquorum, non expectatâ corporum reſurrectione. Docens enim in traditione

F Symboli, quomodo benè credamus Dei Filium Jeſum Chriſtum crucifixum fuiſſe, mortuum & ſepultum, cùm ipſe idem ſit incommutabilis, & immortalis; comparatione procedens, ut audientium mentibus fidelis doctrina altiùs figeretur, ait:„ Nec miremini: ſic enim dicimus Filium „ Dei unicum Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum ſepul- „ tum, cùm ſola caro ejus ſepulta ſit; quemadmodum „ verbi gratia dicamus Apoſtolum Petrum hodiè jacère „ in ſepulcro, cùm & illud veriſſimè dicamus, eum in „ requie cum Chriſto gaudere. Eundem quippe Apoſto- „ lum dicimus: non enim duo Apoſtoli Petri, ſed unus

eſt.

„ est. Eundem ergo ipsum dicimus & in solo corpore ja- A
„ cère in sepulcro, & in solo spiritu gaudere cum Christo.
(n. 7.) Anno igitur 391. Augustinus vitam aeternam Spiritibus Sanctorum ante corporum resurrectionem redditam agnoscebat; quam impugnaret in controversi sermonis sententiis, quasi aliquid melius populum docturus; apud quem tamen non jam hanc fidelem veritatem praedicabat quasi novam, sed commemorabat tantùm, ut ab hoc certo & evidenter cognito fidei principio, rei minus cognitae quamvis creditae similitudinem erueret, qua ad altissima noscenda faciliùs duceretur.

De Ecclesia verò loquens, sic ait. „ Sanctam quoque B
„ Ecclesiam matrem vestram, tanquam supernam Jerusa-
„ lem sanctam Civitatem Dei, honorate, diligite, praedi-
„ cate. Ipsa est quae in hac fide, quam audistis, fructificat
„ & crescit in universum Mundum, Ecclesia Dei vivi,
„ columna & firmamentum veritatis: quae multos in fine
„ sperandos, a quibus invicem discedit disparilitate mo-
„ rum, tolerat in communione sacramentorum. Haec
„ propter sua frumenta inter paleas modò gementia, quo-
„ rum in novissima ventilatione massa horreis debita de-
„ clarabitur, claves accipit regni Coelorum: ut in illa per
„ sanguinem Christi, operante Spiritu-sancto fiat *remissio* C
„ *peccatorum*. In hac Ecclesia reviviscet anima, quae mortua
„ fuerat peccatis, ut convivificetur Christo, cujus gratia
„ sumus salvi facti.

Hìc porrò Ecclesiam hujus temporis & a morituris constitutam noscit; eamque tantò diligendam honorandamque praedicat, quantò diligere honorare & praedicare fideles debent supernam illam Jerusalem matrem nostram Sanctam Civitatem Dei, qui certè in altissimis habitat; quia quos ista Ecclesia suo gremio suscipit, hos & sponso suo in superna Jerusalem reddet. Haec enim in qua animae

revi-

D revivifcunt in remiffione peccatorum, eafdem Chrifto commendat & praemittit in corporis obitu, cujus gratiâ falvae factae funt. Quid autem haec falus importet, jam dixerat, gloriam animae Apoftoli Petri commemorans, quamvis fecundùm corpus adhuc in fepulcro remaneat, juxta quod in noviffima ventilatione paleae a frumentis feparabuntur in fine, ut illuc & corpus difcedat, quo animae jam a feparatione corporis morabantur. Hanc fuiffe mentem Sancti Patris inter cetera quae inferiùs afferentur, illud indicat, quod ait: „ Ipfa eft Ecclefia, quae intra fagenam Domi-
„ nicam cum malis pifcibus natat; a quibus corde femper
E „ & moribus feparatur atque difcedit, ut exhibeatur viro
„ fuo gloriofa, non habens maculam neque rugam. Cor-
„ poralem autem feparationem in littore maris, hoc eft in
„ fine faeculi expectat, corrigens quos poteft, tolerans
„ quos corrigere non poteft (Epift. 93. aliàs 48. ad Vincentium Rogatiftam n. 34.)

Nam difcretionem fpirituum non folum poft mortem fieri, fed etiam dum haec Ecclefia bonos & malos in communione facramentorum finu fuo continet, jam docuerat ajens, quod boni ab impiis difcedunt etiam nunc difparilitate morum. In quam fententiam praeclariffimè loquitur
F etiam Divus Cyprianus Carthaginenfis, cujus opera jam tunc vidiffe Auguftinum fi dicerem, fortaffe non fallerer. Hic autem ita inquit: „ Per Apoftolum praemonet Spiri-
„ tus-fanctus, & dicit *Oportet haerefeos effe, ut probati manife-*
„ *fti fint in vobis*. Sic probantur fideles, fic perfidi dete-
„ guntur. Sic & ante judicii diem hic quoque jam jufto-
„ rum atque injuftorum animae dividuntur, & a frumen-
„ to paleae faparantur „ (De unit. Ecclefiae pag m. 399)
Patet enim ibi Auguftinum in Donatiftas intendiffe, qui penes fe Ecclefiam fine ruga effe contendebant, & ex eo quia fe juftos arbitrabantur, a catholica difcefferant, ne inter ceteros

teros malos ipſi boni confunderentur. In quam rem ne
lectoribus grave videatur exopto textum denuò obſervare A
Auguſtini in epiſtolâ 185. ad Bonifacium Comitem, qui
ſuprà relatus eſt Cap. V. pag. 68.

Evidentiùs autem in quo animae ſalus poſt ſeparationem
a corpore conſiſtat explicavit Sermone CCXVI. ad Competentes,
aliàs de Diverſ. 8., qui alter ex primis eſt, quos
Auguſtinus vix presbyter electus ad populum habuit; ubi
Cathecumenis poſt baptiſma fideliter ſuſceptum vitam
aeternam promittens expleto praeſentis exilii curſu, verbis
„ utens Pſalmorum *Unam petii a Domino, hanc requiram, ut*
„ *inhabitem in Domo Domini omnibus diebus vitae meae*. At- B
„ que hujus regionis, & habitationis beatitudinem expla-
„ nans, connectit & exprimit, *Ut contempler delectationem*
„ *Domini, & protegar a templo ejus*:„ Scitote autem quo-
„ niam videbitis eum, non qualis in temporis plenitudine
„ venit ad nos, ſed qualis ſemper manens condidit nos.„
Inviſibilem enim oculis corporis, atque intractabilem manibus,
& ceteris ſenſibus nequaquam obvium Deum in ea
ſubſtantia qua Verbum eſt & Patri aequalis, cùm jam in
Serm. CCXIV. n. 7. docuiſſet; nunc eundem Deum ab
animabus vel per fidem in hac carne manentibus, vel in
fide a corpore ſejunctis, ſpiritaliter exponit videndum, C
ſpiritaliter ſentiendum, in ea ſcilicet ſubſtantia in qua ſemper
manens condidit nos; ſicuti poſtea ſuſceptâ carne in
finali reſurrectione beatificanda, etiam in ea ſubſtantia videbitur
ab anima per corporis ſenſus, ſecundùm quam in
temporis plenitudine venit ad nos. Secundùm quam pariter
in laudato Sermone CCXIV. n. 9. jam explicaverat
quòd etiam a malis videndus ſit, ajens.„ De ſublimi ergo
„ habitatione Coelorum, ubi nunc eſt ejus etiam immor-
„ tale jam corpus, Dominus noſter Jeſus Chriſtus *ad judi-*
„ *candos vivos mortuoſque venturus eſt*; ſecundùm evidentiſ-
ſimum

D „ simum Angelicum testimonium, quod scriptum est in
„ Actibus Apostolorum. Intuentes enim discipuli Domi-
„ num ascendentem in Coelum, & eum suspensis adspe-
„ ctibus deducentes, audierunt Angelos dicere *Viri Galilaei*
„ *quid hic statis? Hic Jesus, qui receptus est a vobis, sic ve-*
„ *niet, quemadmodum vidistis eum euntem in Coelum*. Repressa
„ est multa & diversa continens humana praesumptio. In
„ ea forma judicabit Christus, in qua judicatus est. Sic
„ enim eum viderunt Apostoli adscendentem in Coelum,
„ quando audierunt sic esse venturum. Illa forma erit con-
„ spicua vivis & mortuis, bonis & malis: sive bonos intel-
E „ ligamus nomine appellatos esse vivorum, malosque mor-
„ tuorum; sive illos vivos accipiamus, quos nondum finis-
„ se istam vitam inveniet ejus adventus; mortuos autem,
„ quos ejus praesentia suscitabit, sicut ipse in Evangelio
„ loquitur dicens, *Veniet hora quando omnes qui sunt in monu-*
„ *mentis, audient vocem ejus, & procedent qui bona fecerunt in*
„ *resurrectionem vitae, qui mala egerunt in resurrectionem judicii*.
„ Et illi videbunt in forma hominis in quem crediderunt,
„ & illi quem contempserunt. Formam verò Dei, qua
„ aequalis est Patri, impii non videbunt. *Tolletur enim im-*
„ *pius* dicit Propheta, *ne videat claritatem Domini, & Beati*
F „ *mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*.

Quibus omnibus ultra quam quod sermonis controversi impugnantur sententiae, etiam illud mirificum lumen acquirit, quod in toties repetito textu l. 20. c. 7. de Civit. Dei multò postea dixit Augustinus *per Domini praesentiam* in illo sabbato aliquas spiritales delicias sanctis affuturas. Hanc enim praesentiam ad Christi visibilem humanitatem refert juxta ea, quae supra notavimus, nec illam interim negat spiritualem per cor mundum visionem praesentiae Domini animabus sanctis a corpore separatis conlatam, qua ipsae divinâ dulcedine superfusae aeternâ beatitate fruuntur; in

quo

quo negando, ut jam diximus peculiaris damnabilisque millenariorum nota consistit. Ii enim inde beatitudinem inchoandam supponunt, ex quo beatitatis quidem augmentum consurgit, non autem beatitatis essentia, quae a Trinitate praesente & ab Unigenito qui est in sinu Patris ineffabiliter enarrante, ut Divus Ambrosius notavit (in Luc. l. 1.) tota consistit; quaque beati fuerunt Angeli boni ab initio, & ante Christi Domini Unigeniti Filii Patris in carne adventum.

Igitur qui mundum cor habent Deum videbunt eo modo etiam quo impii videre non poterunt, idest in ea essentia qua Deus est & Patri aequalis, quandoquidem in ea natura L qua minor est Patre & bonis & malis conspicuus erit Christus Deus Dominus & Judex noster. Cùm verò haec visio, de qua supra, secundùm mentem puram & rectam fiat; cor enim illud quod mundum habere praecipimur ut Deum videre mereamur, non corporis cor credendum est, sed animae, secundùm quod David dicebat *Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innova in visceribus meis*: haec visio Dei revelata animae promittitur statim a morte corporis, nam corde corporis ad fruendum eâ nec indiget anima nunc, nec umquam indigebit. Haec bona sunt, quae David expectabat dicens *Credo videre bona Domini in terra* C *viventium*, visionem scilicet Dei, ad quam alibi anxius contendebat exclamans *Quando veniam & apparebo ante faciem Dei.*

De qua terra Augustinus numero 5. ejusdem Sermonis CCXVI. sic ait. „ Haec terra non terreno vel mortuo, sed „ coelesti quodam modo ac vivo corde concupiscenda est. „ Ipsa est enim, cui in Psalmo alio flagrans quidam ejus „ amore & alacriter cantans dicit *Spes mea es tu, portio mea* „ *in terra viventium*. Ad quam illi tendunt qui vitaliter mor„ tificant membra sua super terram, non membra quibus „ corporis mundi hujus compago consistit, sed illa mem-

„ bra,

D " bra', quibus animae virilitas miserabiliter infirmatur?
" Apertissimè ea dinumerans & designans Vas electionis
" Paulus Apostolus dicit, *Mortificate membra vestra, quae sunt*
" *super terram, fornicationem, immunditiam, perturbationem, con-*
" *cupiscentiam malam & avaritiam, quae est idolorum servitus.*
" Ecce quae in hac terra morientium mortificare debetis,
" qui in illa terra viventium vivere concupiscitis.

Inde addit n. 8." Infantia vestra innocentia erit, pue-
" ritia reverentia, adolescentia patientia, juventus virtus,
" senium meritum, senectus nihil aliud quàm canus sa-
" piensque intellectus. Per hos articulos vel gradus aeta-
E " tis non tu evolveris, sed permanens innovaris. Non enim
" ut decidat prior secunda succedet, aut tertiae ortus se-
" cundae erit interitus, aut quarta jam nascitur ut tertia
" moriatur: non quinta quartae invidebit ut maneat, nec
" quintam sexta sepeliet. Cùm simul aetates istae non ve-
" niant, tamen in anima pia & justificata pariter & con-
" corditer perseverant. Hae te ad septimam perennem
" quietem, pacemque perducent.

Utrum haec doctrina cum illa controversi sermonis concordet, ii videant, qui & illius meminerint, & hanc cum illa conferre non gravabuntur. Hîc enim quid nomine ter-
F rae viventium, quid de fine sex hominis aetatum, quid de die septima, quae illas suscipit & coronat; quid de horreo, quid de requie post hanc vitam fideles tenere deberent, catholicissimè explicatur; & a commixtione Sanctorum cum impiis tamdiu abhorret, quantò differentiorem istis ab illis diem septimam expectandam declarat. Ait enim supra n. 4." Qui vixistis peccato annos multos & malos, desiderate
" vivere Deo: non multos annos quandoque finiendos, &
" ad intereundum in umbra mortis currentes; sed bonos,
" & in veritate vivacis vitae propinquos; ubi nulla fame,
" nulla siti lassabitis*; quia cibus vester fides, potus sapien-

*f. lassabimini.

tia

„ tia erit. Nunc enim in Ecclesia in fide benedicitis Domi- A
„ num; tunc autem in specie affluentissimè rigabimini de
„ fontibus Israel. „ Quibus retentis si adhuc quisquam esse possit, qui sermonem controversum eodem anno ab Augustino apud populum habitum credat, justè admiror: tanto enim discrimine segregantur doctrinae, ut nonnisi animositate quadam excogitari posse videatur, quòd Sanctus Pater hodiè sanam & rectam, cras infirmam & erroneam in magna re doctrinam eidem plebi vellet propinare. Eo potissimum retento quòd plebem tunc non suam, & a sanctissimo Episcopo rectam, quo praesente sermocinabatur, jam in hac solida fide firmiter stabilitam sciebat; B
ut ex comparatione adhibita de gloria Apostoli Petri cum Christo quiescentis, ejus interim corpore in sepulcro manente, evidentissimè patet. Nisi enim Oratores dum comparantibus utuntur, talia eligant, quae certa & clara audientibus sint, non illud consequuntur, quod sibi proponunt, ut nimirum in veritates minus notas & a sensibus vel intelligentia remotiores, per easdem inducantur.

Verùm hoc eodem anno alia scripsit Sanctus Pater, quae huic quaestioni mirabile lumen suppeditant, & habentur libro de Utilitate credendi ad Honoratum, cap. 11. „ Duae
„ sunt enim personae in religione laudabiles, una eorum, C
„ qui jam invenerunt, quos etiam beatissimos judicari ne-
„ cesse est; alia eorum, qui studiosissimè & rectissimè in-
„ quirunt. Primi ergo sunt jam in ipsa possessione; alteri
„ in via, qua tamen certissimè pervenitur. „ Haec porrò distinctio eos inter, qui veritatem & sapientiam quaerunt ab iis, qui jam invenerunt, quos beatissimos ex ipsa possessione vocat, sicuti illos in via adhuc esse definit: demonstrat Sanctum Patrem animae separatae felicitatem in contemplatione Dei, qui est ipsa veritas, & sapientia fidelissimè posuisse.

 Sed

D Sed quia suamet opera retractando, timuit Augustinus, ne aliquis in hac terra beatissimos homines esse posse, quasi de sua mente inde concluderet, fusiùs se explicuit in l 1. retract. c. 14. „ In his verbis meis, si illi, qui jam invene-
„ runt, quos in ipsa possessione jam esse diximus, sic acci-
„ piantur beatissimi, ut non in hac vita, sed in ea quam
„ speramus, & ad quam per fidei viam tendimus, sint;
„ non habet iste sensus errorem: ipsi enim judicandi sunt,
„ quod quaerendum est invenisse, qui jam ibi sunt, quò
„ nos quaerendo & credendo, idest viam fidei tenendo,
„ cupimus pervenire. Si autem in hac vita isti esse putan-
E „ tur, vel fuisse, id verum esse non mihi videtur; non
„ quia in hac vita nihil veri omninò inveniri potest, quod
„ mente cernatur, non fide credatur; sed quia tantum est
„ quidquid est, ut non faciat beatissimos. Neque enim
„ quod dicit Apostolus *Videmus nunc per speculum in aenigmate*,
„ & *Nunc scio ex parte*, non cernitur mente. Cernitur pla-
„ nè, sed beatissimos non facit. Illud enim beatissimos
„ facit, quod dicit *Tunc autem facie ad faciem, & tunc cogno-*
„ *scam sicut & cognitus sum*. Qui hoc invenerunt, ipsi dicen-
„ di sunt in beatitudinis possessione consistere, ad quam
„ ducit via fidei quam tenemus, & quò credendo cupimus
F „ pervenire. Sed quinam sint illi beatissimi, qui jam sunt
„ in ea possessione, quò ducit haec via, magna quaestio
„ est. Et Angeli quidem Sancti quòd ibi sint, nulla quae-
„ stio est. Sed de Sanctis hominibus jam defunctis, utrum
„ ipsi saltem dicendi sint jam in illa possessione consistere,
„ meritò quaeritur. Jam enim corpore quidem corruptibili,
„ quo anima aggravatur exuti sunt, sed adhuc expectant
„ etiam ipsi redemptionem corporis sui, & caro eorum
„ requiescit in spe, nondum in futura incorruptione clare-
„ scit. Sed utrum ad contemplandam cordis oculis verita-
„ tem, sicut dictum est *Facie ad faciem* nihil ex hoc minus
habeant,

„ habeant, non hic locus est disputando requirere. Item A
„ quod dixi, *Nam scire magna & honesta, vel etiam divina*,
„ *beatissimum est*, ad eam beatitudinem referre debemus. In
„ hac enim vita quantumcumque id sciatur, nondum est
„ beatissimum: quoniam incomparabiliter longe est am-
„ plius quod nescitur.

Beatissimos ergo eos esse intelligebat cùm ad Honoratum scriberet, qui jam ibi sunt, quò nos quaerendo & credendo cupimus pervenire; & ne aliter quisquam sapere auderet, intentionem suam explicuit Sanctus Pater; quam item multò ante satis aperuerat libro scilicet de Beata Vita, ut cuique legenti patebit; quamvis etiam ea quae superiùs de eodem libro retulimus, satis fortasse esse possint. Qui tamen plura desiderat, totum legat. B

Sed quia & illud transcribere volui quod sequitur, ne quid dissimulare videar, ubi Sanctus Pater ambiguus apparet, num saltem Sancti homines jam defuncti in illa possessione consistant, quod meritò quaeri admonet: aliquid de hoc etiam dicere opportunum est, ne haec aliqualis ambiguitas veluti firmum praesidium sibi vindicent ii, quibus jam insedit opinio Augustinum in hoc minus rectè sensisse. Eo igitur loci non de beatitate sanctis conferenda post mortem quaerit Augustinus, quam in contemplatione C veritatis toties reposuit, totiesque dixit ad hujusmodi contemplationem non solùm non juvari animam per corruptibile corpus, sed immo ab eâdem praepediri donec immortale resurgat; quod hîc confirmat docens ex Scripturis ab hujusmodi corporis societate animam aggravari ne quod firmum est firmiter contempletur: sed illud disputando requiri posse admonet, num animae sanctae adhuc expectantes redemptionem corporis, & dum caro earum requiescit in spe, nondum in futura incorruptione clarescit, ex hoc minus habeant ad contemplandam cordis oculis veri-


D tatem *Facie ad faciem*. Inadaequatâ igitur beatitate eas jam frui insinuat; sed utrum taliter inadaequata habenda sit, ut non etiam ex parte praesentis spiritualis visionis perfecta haberi possit & beatissimos efficiat, hoc alio loco examinandum relinquit. Sciebat enim veritatem, sapientiam, charitatem, Deum denique in substantia Dei non corporis oculis fore videndum, sed pura mente, qua etiam nunc has & illum sequimur & sentimus, & quantum fieri potest gustamus. Inadaequatam autem beatitatem ponere tam longe est ut Millenarium redoleat, quàm verum est omnes in hoc Theologos consentire. Sed utrum in eo statu ani-
E mae Sanctae minus habeant ad contemplandam cordis oculis veritatem, inde quaeri adhuc posse vult, quia suae sententiae meminerat, qua l. 12. de Gen. ad lit c. 35. docuerat, retardari quodammodo Sanctorum animas, ne tota intentione pergant in illud summum Coelum, sive aliâ latentiore caussâ, sive ideo quia inest iis naturalis quidam appetitus corpus administrandi, quamdiu non subest corpus, cujus administratione appetitus ille conquiescat. Eadem sentit etiam Divus Thomas (1. 2. q. 4. art. 5.) eadem omnes Scholastici docent; unde supervacaneum esset, & nimis animosum si aliquis inde errorem Millenariorum Augusti-
F no confirmare susciperet.

Aliud igitur, & longè diversum est, si Sanctus Pater de hoc quaeri adhuc posse senserit (quandoquidem beatitatem separatis animabus congruam in contemplatione veritatis nec in libro Retractationum, nec in illo de Genesi ad litteram disert) & longè item diversum est supponere, quòd ut huic dubitationi mederetur, in tam diversam & erroneam sententiam descendisset, qualis illa est, quam Sermo CCLIX. continet; ita ut opinaremur, quòd hujusmodi privatum dubium nesciens apud se definire, fidem plebis, aliter (& in hoc supposito plus aequo bene sentien-

tis)

tis) de animabus Sanctis corpore exutis, voluisset destruere, & quamcumque beatitatem ad resurrectionem corporum protrahere.

Proinde cùm doctrina Sancti Patris in primo sui presbiteratus anno & ad plebem publicè loquentis, & privatim libros scribentis, sententias confundat Sermonis CCLIX., hunc eundem hoc anno vel scripsisse Augustinum, vel apud populum habuisse, nunquam probabitur.



D

CAPUT NONUM.

Doctrina Augustini de centum quinquaginta tribus piscibus, Sermonem CCLIX. Augustinianum non esse convincit.

SImilitudinem doctrinae de centum quinquaginta tribus piscibus, quam Sirmondus in aliis tractatibus sermonibus & libris Augustini invènit, ex praecipuis fuisse momentis, quibus ipse hunc sermonem Sancto Patri primus attribuit, colligo ex animadversionibus ad Tom. V. Antverpiae impressis. Hìc namque cùm de hoc sermone
E Sirmondi animadversiones subjiciantur ad verba quae §. 2. continentur, quae item transcribuntur, nihil amplius dicitur, quàm de hoc numero veluti indice universitatis Sanctorum in aeterna vita, Augustinum aliàs locutum, sicuti alii Graeci Patres fecerunt, quorum interpretationes, ludos appellat Sirmondus, nihil tamen de regno futuro Sanctorum in terra ab hoc sermone palàm scaturiente perpendens. Pherepônus autem de hoc pariter errore nihil sollicitus, facilitatem immitans, qua Sirmondus explicationem mysterii definiti numeri centum quinquaginta trium piscium a Patribus toties inculcatam ludum dixerat, de suo
F addit: „ Ludi quidem hi erant, & quidem ingenio abutentium, cùm pro somniantium arbitratu conficti sint; sed „ parciores in ejusmodi ludis fuisse oporteret, nec talia „ commenta, quasi eximias quasdam scripturae interpretationes proferre. „ Haec verba consuetam Phereponi audaciam commendant, cui tamen qui multò pejoribus obtrectationibus tumet, nihil aliud reponere existimo, quàm quod veritas habet. Revera nonnisi ex abundanti animositate has explicationes vel ludos vel ficta commenta appellare poterat, cùm Evangelista Johannes eam piscationem

a Do-

a Domino discipulis imperatam post suam resurrectionem, in eo numero piscium stetisse commemoret. Quod nisi aliquid ad nostram doctrinam continebat, perperam ab Evangelista fuisset commemoratum. Hanc autem verborum superfluitatem, quam haeretici in Scripturis Dei tam facilè culpant, non inveniebant Patres, qui immo illud Apostoli retinentes, quod *quaecumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt* (Rom. 15. 4.) non ludere arbitrabantur, cùm eorum numerorum secreta rimarent, nec ad ludos invitari opinabantur dum ea in sanctis Evangeliis legerent, & pro sua pietate populis fidelibus aperienda susciperent. A

Quod autem Pherepon us audacter spernit, Sirmondus ante ipsum minus prudenter notaverat. Profectò saltem imprudens est dicere Sanctos & doctissimos Ecclesiae Patres quasi unanimiter in hoc lusisse, ut eos tricas amasse, & in rebus nullius momenti tempus consumpsisse, & in iis nihil certae veritatis habentibus populos inaniter detinuisse, vel infirmiores suspicarentur, vel haeretici, veluti in hoc consentientibus nostris, animosiùs pronunciarent. Mysteria autem numerorum non inaniter scrutatos fuisse Patres, nec inaniter in scripturis proposita, ultra ea quae mox dicturi sumus, satis docet Petrus Bungus in suo eruditissimo & elaboratissimo libro, cui titulus Numerorum mysteria, quem qui leget, multò aliter de laboribus Patrum, & de profunditate salubrium scripturarum, sentire assuescet. Bungum certè, non item Sirmondum neque Phereponum legisse crediderim quae apud eundem Augustinum de hac re habemus (Quaest. in Genes. l. 1. q. 152.), „ Sed nescio, ait, utrum possint cuncta ad literam convenire, praecipuè in numeris, quos in Scripturis esse sacratissimos, & mysteriorum plenissimos, ex quibusdam, quos inde nosse potuimus, dignissimè credimus. B C

Meminerint igitur lectores, in Sermone CCLIX. n. 2. dictum,

B dictum, quòd Ecclesiam illam separatam, atque purgatam ab omni contagione nequitiae *significant illi centum quinquaginta tres pisces, de quibus quantum memini aliquando tractavimus*. His ego verbis admonitus, omnes conquisivi patienter locos, in quibus Sanctus Pater de mysterio hujus numeri, & de hac piscatione locutus est; eosque plures inveniens, attentiùs observare constitui, num inter eos aliquid sententiis controversi sermonis concordans inveniretur; quandoquidem verba illa *de quibus quantum memini aliquando tractavimus* rem longinquam insinuat, & cujus vix recordaretur Augustinus.

E Inveni igitur Sermones nunc 248., 249., 250., 251., 252., & 270., de duabus piscationibus expressè tractare; quorum trium, qui hîc ultimo loco recensentur, meminit etiam Sirmondus in suis animadversionibus. Harum una ante resurrectionem suam, jubente Domino, ab Apostolis facta est, in qua multitudinem piscium tantam cepère, ut retia scinderentur; altera post Domini resurrectionem, eodem imperante, accidit, in qua centum quinquaginta tres magni pisces capti commemorantur. Illam Augustinus docet statum praesentis Ecclesiae significare, in qua boni cum malis commixti sunt, cujus item retia a malis quan-
F doque scinduntur, se ab ejus sinu separantes & ad haereses divertentes; ideoque dictum admonet a Domino *Mittite retia*, cui mandato parentes Apostoli multitudinem piscium ceperunt, quorum non additur numerus, ita ut retia rumperentur, & duo naviculae penè mergerentur. Alteram verò in qua Christus imperavit *mittite in dexteram navigii rete*, quod tunc non dixerat, aliud continere mysterium admonet. Inventi enim sunt pisces centum quinquaginta tres, *Et cùm essent magni, non est scissum rete*. Hunc definitum numerum, futuram Ecclesiam significare docet, quae a piscibus dextris componitur, quibus dicetur in fine *Venite*

benedicti,

benedicti, inter quos nulli mali erunt, & Ecclesiam constituent sanctam & impollutam; quia sicuti in Ecclesia praesentis temporis boni malis commixti vivunt; sic in illa post resurrectionem futura, soli boni invenientur. Nusquam tamen hanc Sanctam Ecclesiam & impollutam hîc futuram dicit, sicuti in controverso sermone bis repetitur; sed nullo temporis discrimine interposito in Coelis eam collocat in Sermone CCLII. n 7., ajens„ Nunc autem jam A
„ futura Ecclesia in illa Jerusalem sancta, ubi patebunt
„ omnium corda mortalium, non est metuendum ne intret
„ aliquis in illam Ecclesiam, qui malus est. Non enim sub
„ pelle mortalitatis teget astutiam cordis nequissimi. Jam B
„ enim venit Dominus: & ideo post resurrectionem jubet
„ ut mittantur haec retia in dexteram, jam non moriturus.
„ Et fit quod Apostolus ait *Quo usque veniat Dominus, & illu-*
„ *minet abscondita tenebrarum, & manifestabit cogitationes cordis:*
„ *& tunc laus erit unicuique a Deo*: quando publicabuntur
„ conscientiae, quae modò teguntur. Tunc ergo boni soli
„ erunt ibi, pellentur mali. Ad dexteram enim missa
„ sunt retia, iniquos habere non poterunt.„ Hinc videre erit unde Augustini verba auctor controversi sermonis expiscaverit, quae quasi eadem sunt; ut similitudine dictionum probabilius redderet Augustinum eandem etiam in sententiis mentem habuisse, quas verbis suis calidissimè vestit. C

Ne autem suspicaretur aliquis tunc tantùm istam Ecclesiam incohandam, addit. „ Quare ergo centum quinqua-
„ ginta tres? Numquid tot erunt Sancti? Nam si com-
„ putentur non solum omnes fideles, qui in bona vita exie-
„ runt de corpore, sed soli Martyres; unus dies passionis
„ Martyrum si computetur, millia hominum invenientur
„ coronatorum. Ergo centum quinquaginta tres pisces quid
„ sibi volunt, sine dubio conquirendum est. Quid sibi volunt

D „ sunt quinquaginta? In isto enim numero, idest in quin-
„ quaginta mysterium est: quia ter multiplicati quinqua-
„ ginta, fiunt centum quinquaginta. Nam ideo videtur
„ additus ternarius numerus, ut admoneamur ex qua mul-
„ tiplicatione facti sint centum quinquaginta tres: ac si di-
„ ceretur centum quinquaginta in tria divide ... Hujus
„ ergo numeri pars tertia, quinquaginta sunt. Itaque tota
„ nostra consideratio in quinquagesimo numero figenda
„ est.

„ 9. Numquid fortè ipsi sunt quinquaginta dies isti,
„ quos nunc celebramus? Non enim sine caussa, Fratres
E „ mei, consuetudinem antiquae traditionis tenet Ecclesia,
„ ut per istos quinquaginta dies Alleluja dicatur. Alleluja
„ enim laus est Dei. Significatur ergo nobis laborantibus
„ actio quietis nostrae. Cùm enim post istum laborem ad
„ illam requiem veniemus, solum negotium laus Dei erit,
„ actio nostra ibi Alleluja est.... Nam plenitudo sine ces-
„ satione in Alleluja, post hoc saeculum, & post laborem
„ erit....

„ 10. Quare ergo quinquaginta dies in hoc mysterio
„ celebrantur? Dominus quadraginta dies fecit cum disci-
„ pulis post resurrectionem.... post quadraginta dies ad-
F „ scendit in Coelum, & decimo die posteaquam adscendit,
„ misit Spiritum sanctum.... Quadraginta dies fecit in
„ terra cum discipulis; ante passionem autem quadraginta
„ dies jejunavit. Quadragenarius ergo numerus tempus hoc
„ significat, in quo laboramus in saeculo: quia sapientia
„ nobis hîc dispensatur temporaliter. Aliter enim visio
„ sapientiae immortalis sine tempore, aliter autem tempo-
„ raliter dispensatur. Fuerunt enim Patriarchae, & transie-
„ runt hinc: temporalis fuit dispensatio ipsorum. Non dico
„ temporaliter vivunt; nam semper vivunt & cum Deo
„ vivunt. Sed temporalis dispensatio verbi per eos facta
est.

„ est. Non enim modo loquuntur hîc; sed scripta sunt
„ quae locuti sunt, & leguntur in tempore. Venerunt A
„ Prophetae tempore proprio & abierunt. Venit Domi-
„ nus tempore proprio: nam nunquam recessit praesentiâ
„ majestatis, nunquam recedit divinitate ubique constitu-
„ tus.... Quomodo hîc erat, & quomodo venit, nisi quia
„ hîc erat majestate, venit humanitate? Quòd enim venit
„ in carne, temporaliter nobis sapientiam ipse ministravit:
„ temporaliter per legem, temporaliter per Prophetas,
„ temporaliter per scripturas Evangelii. Cùm transierint
„ enim tempora videbimus ipsam sapientiam sicut est, quae
„ retribuit denarium numerum.... Iste ergo denarius,
„ plenitudo sapientiae. Sed quando temporaliter distribui- B
„ tur, quia in quaternario numero est insigne tempora-
„ lium, quater ductus denarius quadragenarium facit.
„ 11. Ideo quadraginta diebus illi (Prophetae Moyses
„ & Elias) jejunaverunt, significantes in isto tempore ne-
„ cessariam esse abstinentiam ab amore rerum tempora-
„ lium Hoc enim significant per tot dies perpetua illa je-
„ junia, quadraginta diebus. Unde & populus ille Israel
„ quadraginta annos per erèmum ductus est, antequam
„ terram promissionis regnaturus intraret. Sic & nos in
„ vita ista, ubi maxima sollicitudo est, ubi timor, ubi
„ pericula tentationum, temporali dispensatione quasi per C
„ erèmum ducimur. Sed cùm benè gesserimus quadrage-
„ narium numerum, idest benè vixerimus in ista tempo-
„ rali dispensatione, secundùm praecepta Dei ambulantes,
„ accipiemus mercedem denarium illum fidelium. Quia &
„ Dominus quando ad vineam mercenarios conduxit, mer-
„ cedem illis denarium dedit. Omnibus denarium, & quos
„ manè conduxerat, & quos medio die, & quos fine diei,
„ omnibus denarium dedit. Quia si fuerit ab ineunte aeta-
„ te quisque fidelis, denarium accepturus est; jam non per
tem-

D „ temporum distributionem, sed in aeterna contemplatione
„ sapientiam discernentem creatorem a creatura; ut creatore perfruatur, de creatura laudet creatorem.... Itaque
„ ad quadragenarium illum bene gestum, adde mercedem
„ denarii, & fiet quinquagenarius numerus, quia significat Ecclesiam futuram, ubi semper laudabitur Deus. Sed
„ quia in nomine Trinitatis vocati sunt omnes, ut in quadragenario numero benè vivant, & denarium accipiant,
„ ipsum quinquagenarium ter multiplica, & fiunt centum
„ quinquaginta. Adde ipsum mysterium Trinitatis, fiunt
„ centum quinquaginta tres, qui piscium numerus in dextera inventus est: in quo tamen numero innumerabilia
E „ sunt millia Sanctorum. Unde nulli mali projicientur,
„ quia non ibi erunt: nec ullo schismate retia disrumpentur, quae sunt vincula unitatis & pacis.

Quoniam ergo unus dies passionis Martyrum si computetur ultra omnes fideles, qui in bona vita exierunt de corpore, millia hominum inveniuntur coronatorum, & ab eo prorsus coronatorum, qui mercenariis suis denarium largitur, idest sapientiae immortalis visionem sine tempore communicat, ut post hanc vitam semper feliciter vivant sicuti Patriarchae, & cum Deo vivant; porrò Ecclesiae
F catholicae fidem optimè callebat Augustinus, quam populo una cum mysteriis numerorum praedicaret. Nec ita intelligendos centum quinquaginta tres pisces opinabatur, ut tunc primùm Sancti Deo conjungerentur cùm corporum fiet resurrectio, sed ut qui jam hoc exuti corpore coeperunt cum Deo spiritaliter vivere in aeterna contemplatione sapientiae discernentis creatorem a creatura; & creatore perfruentes, eidem de creatura concinunt laudes; manifesti etiam corporaliter fierent in die resurrectionis, & ab impiis, cum quibus in hac vita secundùm corpus patienter morati sunt, in aeternum separarentur in illa nova vita,

quae

quae non in mortali sed prorsus in immortali etiam corpore incipiet sine fine duratura.

Et quia verbum lusionis, quod a Sirmondo & Pherepono Patribus tributum est, ubi de mysterio agunt numerorum, me nimis percellit, alterius etiam eccellentissimi Ecclesiae Doctoris sensum in hoc proferre proposui, ut cuicumque nimis promptâ dictorum virorum definitione ea, quam ipsi ambiunt insedisset opinio, non ex Augustini modo, sed & ex aliorum exemplo atque auctoritate in omninò contrariam convertatur. Haec sunt Sancti Hilarii Pictaviensis Episcopi in Prologo in Librum Psalmorum.

„ 8. Non est autem ignorandum indiscretum apud He„ braeos numerum esse Psalmorum, sed sine ordinis an„ notatione esse conscriptos. Non enim illic primus aut „ secundus, aut tertius, aut quinquagesimus, aut centesi„ mus praenotatur: sed sine discrimine aliquo ordinis „ numerique permixti sunt. Esdras enim, ut antiquae „ traditiones ferunt, incompositos eos, & pro auctorum „ ac temporum diversitate dispersos, in volumen unum „ collegit & retulit. Sed Septuaginta seniores secundùm „ Moysi traditionem ad custodiendam legis doctrinam in „ Synagoga manentes, posteaquam illis a Rege Ptolemaeo „ transferendae ex hebraeo in graecum sermonem totius „ legis cura mandata est, spiritali & coelesti scientiâ vir„ tutes psalmorum intelligentes, in numerum eos atque „ ordinem redegerunt, singulis quibusque numeris pro „ efficientia sua & absolutione perfectis, perfectorum & „ efficientium psalmorum ordinem deputantes.

„ 9. Et quoniam idipsum ex singulorum psalmorum „ virtutibus intelligi possit: tamen absolutissimè in gesto„ rum & temporum historia docemur, psalmorum scili„ cet collectiones secundùm perfectorum numerorum esse „ efficaciam ordinatas. Psalmus enim tertius secundùm

histo-

D „ historiam quinquagesimo psalmo posterior est: inscriptio „ namque utriusque multo intervallo temporis aetatisque „ diversa est. Nam ille, quae sub Uria & David sunt ge- „ sta complectitur: ille autem fugam David, Abessalon „ filio suo eum persequente, significat: & tamen virtus „ ac sacramentum numeri perficit, hunc & illum sic „ pro competentibus & sibi congruis numeris collocari.

„ 10. Inscriptio verò quinquagesimi psalmi secundùm „ historiam quinquagesimi & primi psalmi inscriptione „ posterior est. Sed quinquagesimi numeri virtus & per- „ fectio exigebat, & Doec Idumaei impoenitens in David E „ odium postulabat, anteriorem postponi, & posteriorem „ anteferri: ut remissio peccatorum in numero quinquage- „ simo collocaretur, & poena perfidiae numerum consti- „ tutae remissionis excedens, careret veniâ, cùm & tem- „ pus & numerum poenitentiae perdidisset. Nam cùm „ in quinquagesimo, in quo & sabbata sabbatorum, secun- „ dùm Jubilaei anni praeformationem, peccatorum remis- „ sio sit constituta: competenter hic psalmus, in quo poe- „ nitentiâ antelatâ peccatorum remissio postulatur, in or- „ dine est hujnus umeri collocatus.

„ 11. Tribus verò quinquagesimis psalmorum liber con- F „ tinetur: & hoc ex ratione ac numero beatae illius nostrae „ expectationis existit. Namque qui ex primae quinquage- „ simae & secundae deinde quinquagesimae psalmum, & „ tertiae rursum quinquagesimae, in qua finis est libri, con- „ summationem diligenter advertat: providentiam disposi- „ torum in hunc ordinem psalmorum cum dispensatione „ salutis nostrae intelliget convenire. Cùm enim primus „ gradus sit ad salutem, in novum hominem post peccato- „ rum remissionem renasci, sitque post poenitentiae con- „ fessionem regnum illud Domini in sanctae illius civitatis „ & coelestis Jerusalem tempora reservatum, & postea consum-

„ consummata in nos coelestia gloria in Dei Patris regnum A
„ per regnum Filii proficiamus, in quo debitas Deo laudes
„ universitas spirituum praedicabit: facilè intelligimus in
„ singulis psalmorum virtutibus sub quinquageno numero
„ collocatis sacramentum dispensationis hujus quinquage-
„ nariae contineri.

„ 12. Esse autem haec *Sabbata Sabbatorum* septenarius
„ numerus per septem in septuplum connumeratus osten-
„ dit: quem tamen ogdoas, quia dies eadem prima quae
„ octava secundùm evangelicam plenitudinem in ultimo
„ sabbato adjecta consummat. Et haec quidem sabbata
„ sabbatorum eâ ab Apostolis religione celebrata sunt, ut B
„ his quinquagesimae diebus, nullus neque in terram stra-
„ to corpore adoraret, neque jejunio festivitatem spiritalis
„ hujus beatitudinis impediret: quod ipsum extrinsecus
„ etiam in diebus dominicis est constitutum, qui ultra
„ sabbati numerum per plenitudinem evangelicae praedi-
„ cationis accedunt. Namque cum in septimo die sabbati
„ sit & nomen & observantia constituta: tamen nos in
„ octava die, quae & ipsa prima est, perfecti sabbati fe-
„ stivitate laetamur.

13. „ Et dignum est hanc ogdoadis perfectam sacra-
„ mentis coelestibus virtutem, in eo psalmo, qui octavo C
„ in numero dispositus est, contueri, cui pro torcularibus
„ titulus adjectus est, vasculis in novos fructus praeparatis,
„ & ad ferventis musti calorem continendum innovatis.
„ Et numerus iste ad percipiendos fructus evangelicos,
„ caducis his corporum nostrorum vasculis reformatis,
„ secundùm ogdoadem est evangelicam ordinatus. Et hoc
„ psalmi istius textus & sermo testatur. Ogdoadis quoque
„ istius virtus, etiam in veritate sexti psalmi & numeri,
„ quo *pro octavo* oratio est, continetur: & hoc numeri ra-
„ tio perficit, ut & in sexto pro octavo esset oratio, &

in

D „ in octavo titulus pro torcularibus adderetur. Tribus „ autem in numeris haec torcularium superscriptio reperi„ tur. Nam & octavus, & octogesimus, & octogesimus „ tertius psalmus hunc habet titulum: ut in numeris per„ fectis perfectae hujus beatitudinis ordo consisteret; ita „ tamen ut simplicem ogdoadem & ogdoadis decadem, „ sacramentum Triadis (quae a nostris Trinitas est nuncu„ pata) concluderet.

„ 14. Et hanc quidem ogdoadis perfectionem etiam „ in centesimo atque decimo octavo psalmo cognoscere „ possumus. Namque in octonum numerum per octonos „ versus secundùm hebraeos singularum litterarum initia E „ collecta sunt: sed & ipsa virtus psalmi sacramentum „ ogdoadis edocet. Sunt autem in eo ogdoades viginti duae. „ Nam octoni versus singularum litterarum initiis depu„ tantur; & hoc ea ratione efficitur, ut quia psalmus iste „ perfectum virum secundùm doctrinam evangelicam con„ summat, per omnes viginti & duas Hebraei sermonis lit„ teras, sub sacramento ogdoadis erudiremur....

„ 16. Consequens autem est secundùm octonarium „ hunc viginti & duorum ogdoadum numerum, eum „ qui subjectus est in quindecim canticis graduum psalmo„ rum numerum contineri. Post perfectam enim illam F „ praecedentium ogdoadum doctrinam, hoc canticum „ graduum in quindecim psalmos ex duobus perfectis nu„ meris oportuit convenire, hebdomade scilicet & ogdoa„ de, idest septimo & octavo numero. Nam per obser„ vantiam legis, quae in hebdomade est constituta, & evan„ gelicum profectum, qui ogdoadis & praesenti religione „ & sperata expectatione perficitur, isto cantico graduum „ in coelestia & aeterna conscenditur. Nam & in templum „ per hunc numerum graduum principes Sacerdotum in „ sancta sanctorum conscendebant: & quia neque hebdo-

mada

„ mada legis sine Evangeliorum ogdoade, neque ogdoas „ Evangeliorum sine legis hebdomade virum posset praestare perfectum, quo usque illa perfectè credidisset; in A „ his perfectis & beatis sanctis sanctorum perfectus in „ hoc utroque, qui in quindecim graduum cantico est, „ hebdomadis & ogdoadis numero locaretur.

Superfluum est indicare quàm seriò, quàm subtiliter, quanto demum fundamento haec agat Sanctus Vir, qui huic operi postremis vitae suae annis, juxta Maurinorum observationem in ejusdem vitae capite 14., insudavit, postquam scilicet ab Italia Pictavos se recepit, quod circa finem anni 364. accidit. Quicunque tanti viri meritum & sapientiam noscit, ejusque pro Ecclesia Dei assiduos difficilesque labores non ignorat, eò adduci non poterit ut Sirmondo credat, etiam hunc Sanctissimum Ecclesiae Doctorem, quasi ad levandum ex altioribus studiis animum, haec B prolusisse, & per haec incerta commenta & ludicra populum suum ad utilem Psalmorum studium incitare cogitasse. Diligentiùs autem Hilarii dicta pensitans, & cum illis Augustini, quae retuli, conferens, dignoscet, hunc ab Hilarii scriptis jamdiu in Coelum evecti multa in hanc rem didicisse etiam ex similitudine verborum; & demum hujusmodi studium commune Apostolis & omnibus Sanctis viris & Doctoribus a Christi exortu fatebitur; qui Divino uberiùs Spiritu adjuti atque incitati & illud detegerent velamen, quod sacratissimis numeris in scripturis antiqui testamenti adhuc inerat, ad aedificationem nostram novae gratiae muneribus studiosiùs aperiendum. C

Ad propositum nunc revertendo est fortasse qui dicat Sermonem CLII., qui catholicissimè loquitur ab Augustino Episcopo dictum, ut faveat distinctioni a Tournely meditatae doctrinam inter Augustini presbyteri, & ejusdem Episcopi. Sed nihil ab hac responsione juvarentur Mauri-

D ni, qui non secundùm hanc distinctionem Sermonem CCLIX. Augustino tribuerunt; quorum certè erat, tot evidentissimis contrariis conspectis testimoniis etiam in significatione piscium centum quinquaginta trium; atque animadvertentes, quod facilè poterant, nimis in hoc Sirmondi nutare judicium; Sermonem illum inter spurios anumerare ex constanti contraria Sancti Patris doctrina. In hoc enim eandem regulam eos sequi justum erat, qua eidem librum *de Vera & Falsa Poenitentia* abjudicaverunt. In fine enim Tomi XI. recensentes quae Addenda & Corrigenda invenerant de Operibus, quae in Tomo VI. com-
E prehenduntur, sic ajunt. „ Ad argumenta, quae librum „ de Vera & falsa Poenitentia ab Augustino alienum pro- „ bant; adde quòd cap. 6. insinuatur bonum quemque ante „ Christi adventum inferis detentum fuisse, Augustino „ l. 12. de Gen. ad lit. c. 33. & 34. ea de re dissentiente, „ aut certè ambigente.„ Quanto autem majori jure Sermo CCLIX. ab Augustino alienus probari poterat, & in appendicem rejici, tum ex tot auctoritatibus, quas supra retulimus ex ejus & libris & sermonibus; tum etiam ex eo quod eodem libro 12. de Gen. ad lit. eodem cap. 34. viderant?„ Quapropter, ait ibi Augustinus, animae illius latro-
F „ nis, cui dixit Hodie mecum eris in Paradiso, non utique „ inferos praestitit; ubi poenae sunt peccatorum: sed aut „ illam requiem sinus Abrahae; non enim alicubi non est „ Christus, cùm ipse sit Sapientia Dei attingens ubique „ propter suam munditiam: aut illum Paradisum, sive in „ tertio Coelo, sive ubicunque alibi est quò post tertium „ Coelum est raptus Apostolus: si tamen non aliquid unum „ est diversis nominibus appellatum, ubi sunt animae bea- „ torum.

Nam si ambiguitas Sancti Patris, quam ipsi notaverant in hoc capite & antecedenti, nihil influit quominus librum de

de Vera & falſa Poenitentia Auguſtino abriperent, quia in hoc inſinuatur bonum quemque ante Chriſti adventum A in inferis detentum fuiſſe; quantò magis doctiſſimi viri compellebantur Sermonem CCLIX. in appendicem reiicere, videntes in eo non inſinuari modò quòd animae ſanctae in inferis eſſent, ſed quòd cum impiis & peccatoribus confuſae recluderentur uſque ad judicii diem. Qui enim ſinum Abrahae apud inferos fuiſſe opinabantur, eidem ſinui, nec impios deputabant: & juſtis ibi receptis Paradiſi foelicitatem fortaſſe non denegabant, nec certè eam denegabat Auguſtinus, ut cognoſcere eſt legentibus laudata capita de Gen. ad lit., & ſic & loco & ſtatu, B quamvis non regione, impios a juſtis ſeparabant. Sed Sermo CCLIX. Sanctos cum peccatoribus, confundens uſque ad judicii diem, nec ſtatu eos interim, nec loco, nec ſorte diſtinguit, quod pejus incomparabiliter eſt, & toti Auguſtini doctrinae, & ſi placet etiam opinionibus, omninò contrarium.

Nunc ad reſponſionem accedo objectionis ſupra dictae ad defenſionem diſtinctionis a Tournely meditatae, quam hìc ponere congruum puto antequam a conſideratione ſermonum de duabus piſcationibus, qui eam ſuppeditant, recedamus. Dicunt igitur Sermonem CCLII. Auguſtini C Epiſcopi eſſe, quem jam contra millenarios in epiſcopatu efficaciſſimè militaſſe fatentur. Hunc autem ab Auguſtino Epiſcopo dictum verbis inſinuari n. 4. poſitis: „ In iſta „ civitate, Fratres mei, nonne experti ſumus, quod re- „ cordatur nobiſcum Sanctitas veſtra, quanto periculo „ noſtro de iſta baſilica ebrioſitates expulerit Deus? Non „ ne ſeditione carnalium penè mergebatur nobiſcum na- „ vis? Unde hoc niſi de illo numero piſcium innumera- „ bili? „ Quamvis autem de hujuſmodi ebrioſitatibus ab Eccleſia expellendis ipſe auctor Aurelio Epiſcopo fuerit

D anno 392., ut ex ejus epistola 22. constat: quamvis item in Concilio Carthaginensi III. sub eodem Aurelio celebrato anno 393., Augustino procurante, sancitum fuerit, ut *Populi ab hujusmodi conviviis quantum fieri potest prohiberentur*; quod decretum populo Hipponensi sollicitè patefecisse Augustinum, & pro eo perorasse adhuc presbyterum, Valerio praesente, demonstrat epistola 29. n. 7. & 11., quamvis hac epistola Alypio nuncupata de his scandalosis conviviis ab Hipponensi Ecclesia tandem pulsis non sine proprio periculo, certiorem hilariter eum faciat Sanctus Pater; haecque Maurinorum voto ad annum pertineat 395., sub cujus E finem Episcopus consecratus est, quod, ut supra notavi, non admittit Tournely, qui illum consecratum Episcopum dicit anno 400., quamvis hoc eodem ejus anacronismo uti possem ut sermonem istum Augustino adhuc presbytero commodiùs tribuerem, etiam ex eo quòd rei mentionem faciat, quae ipsi magis praesens esse debebat, & cujus recordatio opportunior erat tempore a victoria parta viciore, quae in suum recidit presbyteratum: tamen non aegrè sermonem istum Augustini esse jam Episcopi concedo, morem gerens oppositoribus.

Peto tamen a Tournely, num controversum Sermonem F CCLIX. primum esse velit ex adhuc extantibus, in quo Sanctus Pater hujusmodi mysteriosae piscationis meminerit? Quod si placet, dicente ibidem Augustino illos centum quinquaginta tres pisces Ecclesiam puram & a peccatoribus segregatam denotare, *de quo quantum memini ali quando tractavimus*, consequeretur nihil superesse ad quod haec verba referantur, quandoquidem extantes omnes, qui hujus mysterii mentionem faciunt, immo de duabus piscationibus inscribuntur, latissimèque de earundem mysterio differunt, post hunc dicti ab Augustino vel presbytero vel Episcopo supponantur. In quo si aliquam probationem suppe-

ſuppeditare poſſet Tournely, gratum omnibus accideret, qui tempora adhuc quaerunt ſermonum Sancti Patris. A

Quia verò nulla ratio ſuppetit, ob quam firmiter concludatur extantes omnes poſt hunc habitos; immò verba controverſi ſermonis admoneant, de myſterio in numero captorum piſcium contento aliàs ad populum mentionem factam; veroſimilius eſt aliquem ex extantibus hunc praeceſſiſſe. Praeſertim quia ſermones in ſcriptis parare ſolitum Auguſtinum presbyterum ex Sermonibus CCXIV. & CCXVI. eruitur; & convenientiae accedit ratio, quandoquidem tunc hujuſmodi miniſterii difficile tirocinium exercebatur Sanctus Pater; & demum quia laudatâ epiſtolâ ad Alypium n. 8., de ſe ipſe teſtatur, lectionem quam paraverat omiſiſſe, & paucis occaſioni datae ſupleviſſe. B Unde videtur, faciliùs extare ſermones, quos presbyter, quàm quos Epiſcopus habuit; quia in epiſcopatu imparatâ oratione ut veteranus & exercitus miles, ſaepius loquebatur. Ex extantibus igitur quemcunque eligeret Tournely ante hunc controverſum ſermonem dictum, jam illius doctrina adeo ab iſta diſcedit, ut imprudentiae ſimile videri poſſit aſſerere, quod poſt ſanam & illibatam doctrinam in quocunque illorum, quos ego commemoravi, contentam, religioſae plebi tam diſparem immò & erroneam ſufficere vellet Sanctus Pater. C

Ulteriùs illa verba, *de quo quantum memini aliquando tractavimus*, aliud ſuppeditant argumentum ſuſpicandae falſitatis ejuſdem ſermonis. Videntur enim rem remotam inſinuare, & cujus vix recordaretur Auguſtinus; vel ſaltem quòd hujus numeri myſterium aliàs apud populum frequenter agere ſoleret lectione adductus currentis Evangelii; a qua conſuetudine per aliquod tempus poſtea abſtinuerit; donec denuò occaſioni ſerviens ſolemnis lectionis, ejuſdem myſterii commemorationem obiter fecerit, quia cùm jam

D ista saepissimè plebi explicaverit, pauca nunc verba ad suscitandam integram rei intelligentiam crederet satis.

Saepissimè autem haec cum populo agere solitum fuisse Sanctum Patrem, luculentissimè probant illius verba ex Sermone CCXLVIII. n. 4., ubi non jam aliquando & rarò, sed omni anno de hoc egisse demonstrat; ait enim. „ „ Aliquod ergo signum vult iste numerus, & anniversaria „ solemnitate sermonis hujus commemorare vobis debeo, „ quod omni anno soletis audire. „ Hoc item confirmat Sermone CCL. n. 3.

Eligat ergo Tournely num ex extantibus quinque de
E duabus piscationibus inscriptis, aliquos dixerit Augustinus presbyter, vel omnes Episcopus. Si aliquos presbyter dixit, duo notanda occurrunt. Primò quod sana doctrina in quolibet eorum contenta, & omni anno repetita, locum non concedit eroneae doctrinae in Sermone CCLIX. jam detectae. Secundò quòd adverbium illud *aliquando*, non solùm suspectum reddit sermonem controversum eo quia Augustinus dicat se de hoc omni anno sermonem habere solitum; sed etiam quia, si eodem anno de hoc locutus erat, haec lectio quae in feriam quartam octavarum Paschae ex cap. 21. Evangelii Johannis occurrebat, tribus tantum diebus di-
F stans a die octava Paschae, qua habitus dicitur Sermo CCLIX., non sinebat Augustinum dicere, se de hoc quantum meminit aliquando tractasse, cùm veriùs se nuperrimè de hoc egisse dicere cogeretur.

Si verò omnes Episcopus dixit, & illud quod omni anno soletis audire ad ejus refertur Episcopatum, jam omnes extantes praecesserunt Sermonem CCLIX., ut insinuant verba *de quo quantum memini aliquando tractavimus*; & nunc hic sermo inter episcopales contra sententiam Doctoris Sorbonici censendus erit; nec inter episcopales modò, sed item inter eos, quos multis annis post Episcopatum dixit. Nam

si

si hanc numeri centum quinquaginta trium piscium explicationem post Episcopatum suscepit, quam omni anno repetere solebat; cùm quinque sermones de duabus piscationibus supersint, verosimilius videtur quod omnes praecesserint sermonem controversum; immò quod post hos successivis annis dictos, ab hac consuetudine cessaverit Augustinus, ut verba *de quo quantum memini aliquando tractavimus* expeditiorem sensum suscipiant. Quare non ad sextum, sed fortasse ad decimum, vel vigesimum sui Episcopatus annum hunc pertinere sermonem absque culpa suspicaremur; quod non solum distinctionem concutit Tournely, sed suspicionem protrhait in libris Augustini usque ad tempus, quo librum 20 de Civit. Dei scripsit, & sic ad annum circiter 426., quoniam textus capitis 7. ejusdem libri veluti retractatio hactenùs probatae opinionis regni millenarii a Maurinis profertur & a Doctore Sorbonico. A B

Quòd si, tot occurrentibus incomodis, dicatur illum aut illos non extare, quos in isto commemorat, ut hoc opus ad Augustini presbyteratum violenter redigatur; jam collationis doctrinae fundamentum deficit, quia unde istud posset suppeditari, deesse sentimus. Dicens enim Sanctus Pater in sermone se de hoc aliàs tractasse, alios sermones ad populum de hoc mysterio numeri centum quinquaginta trium piscium dixisse ostendit. Cùm autem illi, quos habemus de hac re, sententias controversi sermonis confundant, quia millenarium non sapiunt; quos verò non habemus collationi doctrinae juvare non possint, semper remanet quòd nullo fundamento talis sermo Augustino tribuatur. C

Sermonibus autem deficientibus ad probationem, si ad libros confugeret Tournely, nihil porrò inveniet quod opinioni suae faveat in doctrina Augustini ante presbyteratum & in primo presbyteratus anno, quam jam vidimus, nec in illa aliorum annorum presbyteratus sui, quae mox sequetur.

D tur. Si autem solus locus libri 20. de Civit. Dei tantus videretur, ex quo talis sermo ipsi adscribi prudenter posse putetur: ultra jam dicta superiùs, addo, quòd nec istinc quod Maurinorum aut Tournely opinionem nitantur, valet hauriri. Ibi enim se aliquando (tempore scilicet incerto, & fortasse ante baptisma) opinatum esse ait, & quidem multò diversa ab iis sententiis, quas hic continet sermo: non tamen de hoc ad aures populi aliquid locutum, vel saltem in genere aliquid scripsisse fatetur; unde & ab libros nonnisi vanum esset effugium, ut de hoc sermone prolatum judicium confirmetur.

E Vel desinat igitur mecum Tournely, hunc sermonem Augustino tribuere, vel contra distinctionem suam fateatur, hunc probabilius ad Episcopale tempus pertinere. Quod si diceret, nullo alio quàm suo judicio huic novae assertioni obviarem, cùm ipse doceat ex scriptis Augustini Episcopi contrariam omninò ab illa sermonis doctrinam usquequaque elucère.

Et ut ad hanc rejectionem faciliùs adducatur, recogitet precor serena mente, sermonem istum Augustinum non redolere, quia ejusdem consuetudinem in explicandis numerorum mysteriis, quorum plura in hoc sermone tumultuariè commemorat, non imitatur. Nunquam enim id F obiter factum, nunquam in hujusmodi rebus pepercisse verbis Augustinum inveniemus, sed scrupulosissimam diligentiam a Sancto Patre in hoc semper adhibitam; cujus rei testem locupletissimum recensitum Sermonem CCLII. habemus, idemque in Sermone CCL. n. 3. offendimus. Hic enim mysterium numeri 17., a quo per trigonum numerum 153. reddi docuerat, cùm repetere vellet, sic ait „ Ad „ decem accedant septem, fiunt decem & septem. In isto „ numero est omnis multitudo perfectorum; sed quomo„ do perveniant ad centum quinquaginta tres, soleo vobis dicere,

„ dicere, & multi praeveniunt me: solemniter tamen sermo reddendus est. Multi obliti sunt, aliqui nec audierunt; qui autem non sunt obliti, & audierunt, patienter ferant, ut alii commemorentur & instruantur.... A
„ Nihil perdit qui audit quod sciebat; & in eo quod nihil „ perdit, etiam gaudere debet, quia instruitur qui nesciebat. Decem & septem numera, ab uno usque ad decem „ & septem, ita ut omnes addas, & pervenies ad centum „ quinquaginta tres. Quid a me expectatis? Numerate „ vobis „ Idem repetit etiam in Sermone CCIL. n. 3., ubi quamvis dixisset numerum decimum septimum continere numerum centesimum quinquagesimum tertium, quod jam eos nosse sciebat, quia saepè dixerat, saepè ostenderat: tamen admonitionem subdit de modo quo id inveniant. Ceteros omnes sermones, quos de duabus piscationibus inscripsit Sanctus Pater, quicunque leget inveniet, eum in hoc sedulò incumbere ut quantâ possit perspicuitate majori haec mysteria numeri centesimi quinquagesimi tertii in radice decimi septimi contenti fusè explicet. Quibus addo Enarrationem in Psalmum 150 n. 1. & Tractatum 122. in Johannem n. 6. & seqq., ubi tantò abundantiùs de his loquitur, quia locum proprium a quo commemorantur apud Fratres explicandum susceperat. B

Quomodo ergo verisimile erit, quòd Sanctus Pater, qui in his fusè explicandis, & in unum jungendis tempus terere nunquam putavit; nunc in Sermone CCLIX., & numeri decimi septimi non meminerit, & duas piscationes praetermiserit, unâ reticitâ, & numerum centum quinquaginta trium piscium, obiter commemoraverit. Si credebat jam id satis notum populo, certè controversus sermo ad tempus sui Episcopatus assignabitur, & ceteros penè omnes de hac re ante hunc habitos jure optimo existimabimus, ut explicatione praeveniente, parsimoniam verborum in re obscura C

excu-

D excusemus. Si autem dictus sermo ceteros extantes praecessit, quomodo explicabimus illud *de quo quantum memini aliquando tractavimus*, dum nihil hujusmodi proferre possimus?

Verùm (quandoquidem inconvenientia, de quibus usque nunc egimus nihili essent facienda) disparilitas doctrinae in eodem subjecto praedicatae, convincere poterat Tournely, Sermonem CCLIX. Augustinum non redolere. In omnibus enim locis, ubi de duabus piscationibus tractat, hoc unum constantissimè retinet Sanctus Pater; primam scilicet illam ante suam resurrectionem a Domino Apostolis imperatam, praesentis temporis Ecclesiam significare,
E in qua mali cum bonis consistunt tanquam palea frumento commixta ante ventilationem: alteram verò post Domini resurrectionem a discipulis factam, in qua centum quinquaginta tres magni pisces capti ab Evangelista commemorantur, futuram coelestem supernamque Ecclesiam significare, in qua boni certo & definito numero, soli regnabunt. Nunquam Ecclesiam hujusmodi hîc futuram insinuat, nunquam in judicii tantùm die incohandam, nunquam bonos cum malis post mortem corporis eodem loco recipi dixit: sed semper catholicam, firmamque & sanissimam doctrinam proposuit, qualem sermo continet 252. supra re-
F latus. Quamobrem si recta docebat Augustinus presbyter, ejus quinque presbyteratus anni locum non dabunt Sermoni CCLIX. si paria Episcopus praedicabat, quod confirmat Tournely, nullum item locum inveniet controversus sermo, qui proinde veluti suppositititius in appendicem communi voto erit rejiciendus.

CAPUT

CAPUT DECIMUM.

Examinatur doctrina Augustini ab anno 392. ad totum annum 395., & ex hac etiam Sermo CCLIX. non genuinus detegitur.

A

QUàm esset optandum, retractationes sermonum suorum post se reliquisse Augustinum, ne lis hujusmodi vel unquam suscepta fuisset, vel iis temporibus quibusque propriis assignatis, citius, si modo oriri potuisset, dirimeretur. Tunc quae ejusdem generis videnda essent, certò sciremus, & parvo labore contraria sentientes suasi dimitterentur: quamvis non spernendum mihi videatur argumentum, quod ab omnium doctrina deducitur; in nullo scilicet eorum, qui hac postrema Maurinorum censurâ Augustino tribuuntur, immò nec in iis, quos in appendicem rejecerunt doctissimi Monachi, aliquid consonum vel simile inveniri cum eroneis sententiis nunc intrusi sermonis. Sed quoniam profundiùs aquam attingere cogimur doctrinam Augustini examinaturi anno 392, Acta occurrunt contra Fortunatum Manichaeum disp. 2. n. 22. In his catholicissimè disputans Augustinus contra perversae illius sectae infirma principia, hoc retinuit semper; primi hominis peccato captivatas omnes animas esse sub duplici lege, peccati scilicet & mortis, quarum altera a prima procedit. Explicaturus autem quomodo animae jam per gratiam Dei a lege peccati & mortis liberatae, adhuc legi mortis in corpore suo sint alligatae, ita inquit„ Propter autem gratiam Dei, quae nos liberat a lege peccati & mortis, ad „ justitiam conversi liberamur: ut postea eadem ipsa caro, quae nos poenis torsit in peccatis manentes, subjiciatur nobis in resurrectione, & nulla adversitate nos quatiat, quominus legem & divina praecepta servemus.

B

C

Quod

D „ Quod non ita est accipiendum (subdit l. 1. Retract. cap. „ 16.) tanquam & in illo Dei regno, ubi incorruptibile atque immortale corpus habebimus, de scripturis divinis „ lex & praecepta sumenda sint: sed quia perfectissimè ibi „ lex aeterna servabitur, & illa duo praecepta de diligendo Deo & proximo, non in lectione, sed in ipsa perfecta & sempiterna dilectione tenebimus.„ Sed quia conversio ad justitiam non corporis sed animae actio est, cujus est item dilectio, sequitur quòd ea liberatio a lege peccati & mortis aeternae in hac vita per Dei gratiam incohata, in altera perseveret; & tunc vera animae oriatur E libertas, cùm exutâ hac mortalis corporis sarcinâ, quod aggravat animam, eadem libertate suâ fruitur in sapientia, & justitiam, cui jamdiu copulata est, contemplatur, Deum diligendo a quo liberata est, & proximum item, quem vel congregatum in sinu Abrahae, Deo revelante, reperit, vel congregandum expectat; donec pristino corpori cum ceteris hominibus restituta, in eâdem Dei & proximi dilectione perseveret etiam exterioribus signis, quam nunc interiori exerceteur affectu.

Quòd si aliter Augustini illa verba potuissent interpretari ita ut haec incohata in Sanctis adhuc viventibus a lege F peccati & mortis libertas, aliqualiter nutaret post eorum corporis mortem; nunquid hanc nimis optatam concessionem dissimulassent Manichaei? Scimus enim eos inter alia erronea etiam illud sensisse, quòd Sanctorum Patriarcharum & Prophetarum animabus purgationem & regnum Coelorum concesserit Christus, ad quod, ut catholicos insectatur Faustus Manichaeus, *vobis etiam confitentibus, longo intervallo de terra, ac poenali inferorum custodia, ubi se vitae merita coercebant a Christo Domino nostro liberatos, per ejus scilicet mysticam passionem pervenire ad hoc ipsum potuisse, si pervenerunt quò scriptum de eis est*. l. 33. contra Faustum cap. 1. Aliter autem illis

illis verbis sensisse Augustinum patet, tum ex silentio Manichaeorum hanc sententiam illi non objicientium; tum ab iis quae ad animosa Fausti commenta, ibidem respondet, cap. scilicet 4. & 5. ait enim. „ Quomodo in tuto, qui A
„ te Patriarchas odisse dicis impuros, & Deum adhuc
„ plangis impurum? Certè illis Patriarchis post adventum
„ Salvatoris praestitam purgationem & datam beatam
„ requiem concessisti : Deus autem vester & post adven-
„ tum Salvatoris adhuc jacet in tenebris, adhuc flagitiis
„ omnibus mergitur, adhuc in impuris omnibus volutatur:
„ ita non solùm vita illorum hominum melior erat Deo
„ vestro, verùm etiam mors ipsa felicior. In quibus au- B
„ tem sedibus erant justi, qui exierant de hac vita prius-
„ quam Christus in carne venisset; & utrum etiam ipsos
„ ad aliquid melius passio Christi transtulerit, qui in eum
„ venturum passurum, resurrecturum non tantùm credi-
„ derant, verùm etiam hoc ipsum sicut oportebat, pro-
„ phetico spiritu praenunciaverant, in scripturis sanctis
„ indagandum est, si quo modo ad liquidum indagari po-
„ test; non hinc temeritatem opinantium consectandae
„ quorumlibet hominum, nedum tam execrabilis haeresis
„ perversitates nimis longè a veritate aberrantium. Frustra
„ sibi sanè per hanc obliquitatem pollicetur Faustus, ali- C
„ quid post hanc vitam cuipiam posse praestari, quod sibi
„ praestandum in hac vita non comparaverit. Bonum est
„ vobis, ut dum hîc vivitis, istum relinquatis errorem, &
„ veritatem catholicae fidei cognoscatis atque teneatis. Alio-
„ quin longe aberit quod sibi pollicetur justus, cùm fieri
„ coeperit quod injusto minatus est Deus.

„ De vita autem Patriarcharum jam quantum satis
„ arbitratus sum, homini maledico non pauca respondi:
„ quibus non utique in morte correctis, vel post passionem
„ suam justificatis, testimonium Dominus perhibebat, cùm

Ju-

D „ Judaeos admoneret, ut si Abrahae filii essent, facta Ab-
„ rahae facerent; & quod idem Abraham ejusdem diem
„ videre concupierit, gavisusque fuerit cùm vidisset; &
„ quòd in ejus sinum, idest nescio cujus quietae felicitatis
„ magnum abditumque secretum, abstulerint Angeli pau-
„ perem illum aerumnosum a divite superbiente contem-
„ ptum. Quid dicam de Apostolo Paulo? An fortè & ipse
„ post mortem justificatum laudat Abraham, qui priusquam circumcideretur credidit Deo, & deputatum est
„ illi ad justitiam: quod tanti pendit, ut nos non ob aliud
„ dicat filios ejus esse effectos, qui ejus carne propagati
E „ non sumus, nisi quòd ejus fidei vestigia sequamur.

Quem item beatum pauperem etiam somniis Adimanti Manichaei discipuli anno 394. opposuerat, qui contrarios contendebat textus *Beati pauperes spiritu quoniam ipsorum est regnum coelorum*, & *Vae vobis divitibus, quia percepistis consolationem vestram*, illi, quo dictum est in lege *Ego sum, qui divitias do amicis meis, & paupertatem inimicis meis*. „ Sed cur
„ nolunt, dicebat Augustinus, & alia in Evangelio contu-
„ eri? Ubi enim scriptum est *Beati pauperes spiritu, quoniam*
„ *ipsorum est regnum Coelorum*: ibi sequitur *Beati mites quoniam*
„ *ipsi haereditate possidebunt terram*. Ecce habent amicos Dei
F „ haereditate terrae divites fieri. Cùm autem ad tantam
„ egestatem dives ille redigitur, ut ab eo paupere, quem
„ neglexerat, digito brevi in aqua tincto arenti linguae
„ suae humorem stillari deprecetur, intelligant quomodo
„ fiant pauperes inimici Dei, & id esse cognoscant, quod
„ in Lege scriptum est *Ego sum, qui divitias do amicis meis, &*
„ *paupertatem inimicis meis*. (Contra Adimant. Manichaei discipul. c. 29.)

Porrò retributionem divitiarum gloriae promptam justos consequi, sicut iniquos paupertatis poenam, haec apertissimè praedicant, ideoque commixtionem illam justorum & ini-

iniquorum usque ad judicii diem, quam continet sermo controversus, manifestissimè damnant. Quod autem notatu inutile fortasse non erit, sententiam ostendunt Sancti Patris de beatitate Sanctorum in sinu Abrahae, ubicunque situs ille fuerit, etiam ante Christum passum; & praeterea demonstrant etiam antiquis quibusdam visum esse Sanctorum animas per Christi descensum a poenali inferorum custodia liberatas, quos tamen Augustinus homines quosdam temeraria opinantes appellat, Fausto respondens, qui horum quasi auctoritate in catholicos invehebat, suaeque perversissimae opinioni veluti ex nostris placitis opitulabatur. A

Aliam item suppeditat probationem integrae fidei Sancti Patris, in eo quod respicit non retardatam Sanctorum salutem, ejus epistola 22. aliàs 64. quam anno 392. Aurelio Carthaginensi doctissimo Episcopo nuncupavit. In ea auctor Aurelio Augustinus est, ut comessationes, quae in Affricanis Ecclesiis a fidelibus quasi quadam religione celebrabantur, ejus auctoritate, vel etiam Concilii Episcopalis sanctionibus prohiberentur. „ Comessationes enim & ebrie- B
„ tates ita concessae & licitae putantur (ait n. 3.) ut in
„ honorem etiam beatissimorum Martyrum, non solùm
„ per dies solemnes, sed etiam quotidiè celebrentur. Et n.
„ 6 Sed quoniam istae in coemeteriis ebrietates & luxu- C
„ riosa convivia, non solùm honores Martyrum a carnali
„ & imperita plebe credi solent, sed etiam solatia mor-
„ tuorum; mihi videtur facilius illic dissuaderi posse istam
„ foeditatem ac turpitudinem, si & de scripturis prohibea-
„ tur, & oblationes pro spiritibus dormientium, quas verè
„ aliquid adjuvare credendum est, super ipsas memorias,
„ non sint sumptuosae, atque omnibus petentibus sine typho
„ & cum alacritate praebeantur: neque vendantur, sed si
„ quis pro religione aliquid pecuniae offerre voluerit, in
„ praesenti pauperibus eroget. Ita nec deserere videbuntur

memo-

D „ memorias suorum, & id celebrabitur in Ecclesia, quod „ piè & honestè celebratur.

Ubi sive beatissimos Martyres recolas, sive aliquas oblationes verè aliquid adjuvare spiritus dormientium, & illos in coelis sine ulla indigentia, & istos in loco ubi a viventibus suffragari possint apertè definit; hosque ab iis separat quibus nihil a sacramentis solatii aut levaminis potest obveni re. Quibus autem scripturis id esset probandum vide ex epistola 29. ad Alypium Thegastensem, ubi de his comessationibus tandem ab Ecclesia Hipponensi exulatis illum certiorem reddit.

E Quoniam verò necessitate explicandi textum ex Actis contra Fortunatum Manichaeum, aliquatenus confundimus praefixum ordinem; doctrinam enim anni 392. per illam explicavimus, quam anno 394. contra Adimantum protulit Sanctus Pater, & per illam item qua Faustum debellavit Episcopali munere jam decoratus, nunc monumenta anni 393. proferamus in medium.

Hoc igitur anno, plenario ut ipse ait totius Africae concilio Hippone-regio congregato, ipse adhuc presbyter de Fide & Symbolo coram Episcopis disputavit. Quàm bene rudimenta fidei nostrae calleret, quàm rectè ex scripturis F ipsa defenderet; quàm sana praedicaret, ii videant, qui laudatum librum meditari non gravabuntur. Illic certè cap. 6. ait „ Credimus *in Coelum adscendisse*, quem beatitudi „ nis locum etiam nobis promisit, dicens *Erunt sicut Angeli* „ *in Coelis*, in illa civitate, quae est mater omnium nostrum „ Jerusalem aeterna in Coelis. Hic porrò, quamvis de vita Sanctorum post resurrectionem expressè loquatur corporis Dominici proposito exemplo, nihil ambigit nobis eum beatitudinis locum promittere, in quo jam regnat caput illius matris nostrae Jerusalem aeternae in Coelis. Non dicit hic in terra regnaturum Christum cum Sanctis in fine saeculi,

nec

non impollutam & sanctam Ecclesiam hic primò futuram, sed aeternam Jerusalem absque mora post resurrectionem Sanctis pollicetur in Coelis. A

Quid autem nomine Coeli intelligeret Sanctus Pater, inde patet, quod anno 393. vel 394. dixit (l. 1. de serm. Domini in monte c. 5. n. 15.) textum explanans *Gaudete & exultate quoniam merces vestra copiosa est in Coelis* „ Non hic „ Coelos dici puto superiores partes hujus visibilis mundi. „ Non enim merces nostra, quae inconcussa & aeterna „ esse debet, in rebus volubilibus & temporalibus collocanda est. Sed in Coelis dictum puto, in spiritalibus firmamentis, ubi habitat sempiterna justitia, in quorum comparatione terra dicitur anima iniqua cui peccanti dictum „ est, *Terra es & in terram ibis*. De his Coelis dicit Apo- B „ lus, *Quoniam conversatio nostra in Coelis est*. „ Quòd autem aliquae animae jam hujusmodi beatitate fruantur, declarat continuò dicens: „ Sentiunt ergo jam istam mercedem, qui „ gaudent spiritalibus bonis; sed tunc ex omni parte perficientur, cùm etiam hoc mortale induerit immortalitatem.

Quia verò auctor controversi sermonis regnum Christi in terris veluti a Scripturis Sanctis praeclarissimè intimatum, nulla haesitatione supponit; videtur quòd textum illum *Beati mites quoniam ipsi haereditate possidebunt terram*, ad suam C rem esse putaret; exceptâ pro nunc repetitâ mille annorum commemoratione, quae cap. 20. Apocalypsis legitur, de qua suprà non pauca locuti sumus, & infra loquemur. Augustino autem aliter omninò terram hanc mitibus a Domino promissam sonare, declarant ejus verba ejusdem libri cap. 2., ubi ait „ Illam credo terram, de qua in Psalmo di- „ citur *Spes mea es tu, portio mea in terra viventium*. Significat „ enim quamdam soliditatem & stabilitatem haereditatis „ perpetuae, ubi anima per bonum affectum tamquam

D „ loco ſuo requieſcit, ſicut corpus in terra, & inde cibo ſuo
„ alitur, ſicut corpus ex terra: ipſa eſt requies & vita San-
„ ctorum. Mites autem ſunt qui cedunt improbitatibus,
„ & non reſiſtunt malo, ſed vincunt in bono malum.
„ Rixentur ergo immites & dimicent pro terrenis & tem-
„ poralibus bonis: *Beati autem mites, quoniam ipſi haereditate*
„ *poſſidebunt terram*, de qua pelli non poſſint.

Nec minus utilia propoſito noſtro ea eſſe, quae ibidem praecedunt & ſubſecuntur, ubi de octo beatitudinibus ſermonem inſtituit Sanctus Pater, intentionem ſuam, immo & fidem de praemio poſt hanc vitam a Sanctis conſe-
E quendo pluribus patefaciens, quae hic legentium oculis ſubjicimus; tantòque libentiùs, quia eadem in ſolemnitate Omnium Sanctorum, & per octavam Romana legit Eccleſia; unde quanti ipſa Auguſtinum faciat etiam presbyterum, & quàm bene tota haec lectio beatitatem Sanctis jam conlatam confirmet, poteſt intelligi.

„ 3. Quid ergo dicit? *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſo-*
„ *rum eſt regnum Coelorum*. Legimus ſcriptum de appetitione
„ rerum temporalium, Omnia vanitas & praeſumptio ſpi-
„ ritus: praeſumptio autem ſpiritus audaciam & ſuperbiam
„ ſignificat: vulgò etiàm magnos ſpiritus ſuperbi habere
F „ dicuntur, & rectè, quandoquidem ſpiritus etiam ventus
„ vocatur. Unde ſcriptum eſt, Ignis, grando, nix, gla-
„ cies, ſpiritus procellarum. Quis verò neſciat ſuperbos
„ inflatos dici, tanquam vento diſtentos? Unde eſt etiam
„ illud Apoſtoli, Scientia inflat, charitas verò aedificat.
„ Quapropter rectè hic intelliguntur pauperes ſpiritu, hu-
„ miles & timentes Deum, ideſt non habentes inflantem
„ ſpiritum. Nec aliundè omninò incipere oportebat beati-
„ tudinem; ſiquidem perventura eſt ad ſummam ſapien-
„ tiam: Initium autem ſapientiae timor Domini: quoniam
„ & è contrario Initium omnis peccati ſuperbia eſt. Su-

„ perbi

„ perbi ergo appetant & diligant regna terrarum: *Beati*
„ *autem pauperes ſpiritu quoniam ipſorum eſt regnum Coelorum.* A

Et commemoratis n. 4. quae paulo ante jam ſcripta ſunt, ſecundam beatitudinem explicans, tertiam proſequitur dicens

„ 5. *Beati lugentes, quoniam ipſi conſolabuntur.* Luctus eſt
„ triſtitia de amiſſione carorum: converſi autem ad Deum
„ ea, quae in hoc mundo cara amplectebantur, amittunt:
„ non enim gaudent his rebus, quibus antea gaudebant,
„ & donec fiat in illis amor aeternorum, nonnullâ moeſti-
„ tia ſauciantur: conſolabuntur ergo Spiritu-ſancto, qui
„ maximè propterea paracletus nominatur, ideſt conſola- B
„ tor, ut temporalem amittentes aeternâ laetitiâ perfru-
„ antur.

„ 6. *Beati qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam, quoniam ipſi ſatu-*
„ *rabuntur.* Jam iſtos amatores dicit veri & inconcuſſi boni.
„ Illo ergo cibo ſaturabuntur, de quo ipſe Dominus dicit
„ Meus cibus eſt ut faciam voluntatem Patris mei,
„ quod eſt juſtitia: & illâ aquâ, de qua quiſquis biberit,
„ ut idem dicit, Fiet in eo fons aquae ſalientis in vitam
„ aeternam.

„ 7. *Beati miſericordes; quoniam ipſorum miſerebitur.* Beatos
„ eſſe dicit qui ſubveniunt miſeris, quoniam eis ita repen- C
„ ditur, ut de miſeria liberentur.

„ 8. *Beati mundi corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* Quàm
„ ergo ſtulti ſunt, qui Deum iſtis exterioribus oculis quae-
„ runt, cùm corde videatur, ſicut alibi ſcriptum eſt. Et
„ in ſimplicitate cordis quaerite illum. Hoc eſt enim mun-
„ dum cor, quod eſt ſimplex cor: & quemadmodum lumen
„ hoc videri non poteſt niſi oculis mundis, ita nec Deus
„ videtur, niſi mundum ſit illud, quo videri poteſt.

„ 9. *Beati pacifici, quoniam ipſi Filii Dei vocabuntur.* In pace
„ perfectio eſt, ubi nihil repugnat, & ideo filii Dei paci-

D „ fici, quoniam nihil reſiſtit Deo, & utique filii ſimilitu-
„ dinem patris habere debent. Pacifici autem in ſemeti-
„ pſis ſunt, qui omnes animi ſui motus componentes & ſub-
„ jicientes rationi, ideſt menti & ſpiritui, carnaleſque
„ concupiſcentias habentes edomitas, fiunt regnum Dei:
„ in quo ita ſunt ordinata omnia, ut id quod eſt in ho-
„ mine praecipuum & excellens, hoc imperet, ceteris non
„ reluctantibus, quae ſunt nobis beſtiiſque communia; at-
„ que idipſum, quod excellit in homine, ideſt mens &
„ ratio, ſubjiciatur potiori, quod eſt ipſa Veritas Unigeni-
„ tus filius Dei. Neque enim imperare inferioribus poteſt,
E „ niſi ſuperiori ſe ipſe ſubjiciat. Et haec eſt pax, quae da-
„ tur in terra hominibus bonae voluntatis; haec vita con
„ ſummati perfectique ſapientis. De hujuſmodi regno
„ pacatiſſimo & ordinatiſſimo miſſus eſt foras princeps
„ hujus ſaeculi, qui perverſis inordinatiſque dominatur.
„ Hac pace intrinſecùs conſtituta atque firmata, quaſcun-
„ que perſecutiones ille qui foras miſſus eſt, forinſecus con-
„ citaverit, auget gloriam, quae ſecundùm Deum eſt; non
„ aliquid in illo aedificio labefactans, ſed deficientibus ma-
„ chinis ſuis, innoteſcere faciens quanta firmitas intus ex-
„ tructa ſit. Ideo ſequitur, *Beati qui perſecutionem patiuntur*
F „ *propter juſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum Coelorum*.
„ 10. Sunt autem omnes iſtae octo ſententiae. Jam
„ enim cetera compellans loquitur ad illos, qui aderant,
„ dicens: *Beati eritis cùm vobis maledicent & perſequentur vos*.
„ Superiores autem ſententias generaliter dirigebat: non
„ enim dixit *Beati pauperes ſpiritu*, quoniam veſtrum eſt re-
„ gnum Coelorum; *ſed quoniam ipſorum eſt regnum Coelorum*;
„ neque *Beati mites*, quoniam vos poſſidebitis terram; ſed
„ *quoniam ipſi poſſidebunt terram*. Et ita ceteras uſque ad octa-
„ vam ſententiam, ubi ait *Beati qui perſecutionem patiuntur pro-*
„ *pter juſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum Coelorum*. Inde jam
„ incipit

„ incipit loqui praesentes compellans, cùm & illa, quae A
„ supra dicta sunt, ad eos etiam pertineant, qui praesentes
„ audiebant; & haec postea, quae videntur praesentibus
„ specialiter dici, pertineant etiam ad illos, qui absentes, vel
„ post futuri erant. Quapropter ille sententiarum nume-
„ rus diligenter considerandus est. Incipit enim beatitudo
„ ab humilitate: *Beati pauperes spiritu*, idest non inflari, dum
„ se divinae auctoritati subjicit anima, timens post hanc vi-
„ tam ne pergat ad poenas, etiamsi fortè in hac vita sibi
„ beata esse videatur. Inde venit ad divinarum scriptura-
„ rum cognitionem, ubi oportet eam se mitem praebere
„ pietate, ne id quod imperitis videtur absurdum vitupe- B
„ rare audeat, & pervicacibus concertationibus efficiatur
„ indocilis. Inde jam incipit scire quibus nodis saeculi hujus
„ per carnalem consuetudinem ac peccata teneatur: itaque
„ in hoc tertio gradu, in quo scientia est, lugetur amissio
„ summi boni, quia inhaeretur extremis. In quarto autem
„ gradu labor est, ubi vehementer incumbitur ut sese ani-
„ mus avellat ab eis, quibus pestifera dulcedine innexus est:
„ hìc ergo esuritur & sititur justitia, & multum necessa-
„ ria est fortitudo, quia Non relinquitur sine dolore quod
„ cum delectatione retinetur. Quinto autem gradu perse-
„ verantibus in labore datur evadendi consilium; quia C
„ nisi quisque adjuvetur a superiore, nullo modo sibi est
„ idoneus ut sese tantis miseriarum implicamentis expediat:
„ est autem justum consilium, ut qui se a potentiore adju-
„ vari vult, adjuvet infirmiorem, in quo est ipse potentior:
„ itaque *Beati misericordes, quia ipsorum miserebitur*. Sexto gra-
„ du est cordis munditia de bona conscientia bonorum
„ operum, valens ad contemplandum summum illud bo-
„ num, quod solo puro & sereno intellectu cerni potest.
„ Postremò est septima ipsa sapientia, idest contemplatio
„ veritatis pacificans totum hominem, & suscipiens simi-

D „ litudinem Dei, quae ita concluditur, *Beati pacifici, quo-*
„ *niam ipſi Filii Dei vocabuntur*. Octava tamquam ad ca-
„ put redit, quia conſummatum perfectumque oſtendit &
„ probat; itaque in prima, & in octava nominatum eſt
„ regnum Coelorum, *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum*
„ *eſt regnum Coelorum*: & *Beati qui perſecutionem patiuntur propter*
„ *juſtitiam; quoniam ipſorum eſt regnum Coelorum*; cùm jam di-
„ citur, Quis nos ſeparabit a charitate Chriſti? tribulatio,
„ an anguſtia, an perſecutio, an fames, an nuditas, an pe-
„ riculum, an gladius? Septem ſunt ergo, quae perficiunt:
„ nam octava clarificat, & quod perfectum eſt demonſtrat,
E „ ut per hos gradus perficiantur & ceteri, tamquam a ca-
„ pite rurſum exordiens.

„ 11. Videtur ergo mihi etiam ſeptiformis operatio
„ Spiritus-ſancti, de qua Iſaias loquitur, his gradibus ſen-
„ tentiiſque congruere. Sed intereſt ordinis: nam ibi enu-
„ meratio ab excellentioribus coepit, hìc verò ab inferiori-
„ bus. Ibi namque incipit a ſapientia & deſinit ad timo-
„ rem Dei: ſed initium ſapientiae timor Domini. Qua-
„ propter ſi gradatim tamquam aſcendentes numeremus,
„ primus ibi eſt timor Dei, ſecunda pietas, tertia ſcientia,
„ quarta fortitudo, quintum conſilium, ſextus intellectus,
F „ ſeptima ſapientia. Timor Dei congruit humilibus, de
„ quibus hìc dicitur *Beati pauperes ſpiritu*, ideſt non inflati,
„ non ſuperbi: quibus Apoſtolus dicit, Noli altum ſapere,
„ ſed time, ideſt noli extolli. Pietas congruit mitibus: qui
„ enim piè quaerit, honorat Sanctam Scripturam, & non
„ reprehendit quod nondum intelligit, & propterea non
„ reſiſtit, quod eſt mitem eſſe: unde hìc dicitur *Beati mites*.
„ Scientia congruit lugentibus, qui jam cognoverunt in
„ ſcripturis, quibus malis vincti teneantur, quae tamquam
„ bona & utilia ignorantes appetiverunt: de quibus hìc di-
„ citur *Beati qui lugent*. Fortitudo congruit eſurientibus, &
„ ſitien-

„ sitientibus: laborant enim desiderantes gaudium de veris
„ bonis, & amorem a terrenis & corporalibus avertere A
„ cupientes: de quibus hîc dicitur *Beati qui esuriunt & sitiunt*
„ *justitiam*. Consilium congruit misericordibus, ut dimitta-
„ mus, sicut nobis dimitti volumus; & adjuvemus in quo
„ possumus alios, sicut nos in quo non possumus cupimus
„ adjuvari: de quibus hîc dicitur *Beati misericordes*. Intel-
„ lectus congruit mundis corde, tamquam purgato oculo,
„ quo cerni possit, quod corporeus oculus non vidit, nec
„ auris audivit, nec in cor hominis adscendit: de quibus
„ hîc dicitur *Beati mundo corde*. Sapientia congruit pacificis,
„ in quibus jam ordinata sunt omnia, nullusque motus ad-
„ versus rationem rebellis est, sed cuncta obtemperant B
„ spiritui hominis, cùm & ipse obtemperet Deo, de quibus
„ hîc dicitur *Beati pacifici*. (Ordinata autem omnia hîc in
„ pacificis significare intelligit *id nunc agentibus pacificis doman-*
„ *do concupiscentias, ut ad istam pacem quandoque veniatur*. l. 1.
„ retract. 19. 1.)

„ 12 Unum autem praemium, quod est regnum Coe-
„ lorum, pro his gradibus variè nominatum est. In primo,
„ sicut oportebat, positum est regnum Coelorum, quod est
„ perfecta summaque sapientia animae rationalis. Sic ita-
„ que dictum est *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est re-* C
„ *gnum Coelorum* tamquam diceretur Initium sapientiae timor
„ Domini. Mitibus haereditas data est, tamquam testamen-
„ tum patris cum pietate quaerentibus: *Beati mites quoniam*
„ *ipsi haereditate possidebunt terram*. Lugentibus consolatio,
„ tamquam scientibus quid amiserint, & quibus mersi sint:
„ *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur*. Esurientibus &
„ sitientibus saturitas, tamquam refectio laborantibus, for-
„ titerque certantibus ad salutem: *Beati qui esuriunt & sitiunt*
„ *justitiam, quoniam ipsi saturabuntur*. Misericordibus miseri-
„ cordia tamquam vero & optimo consilio utentibus, ut hoc

D „ eis exhibeatur a potentiore quod invalidioribus exhibent:
„ *Beati miſericordes; quoniam ipſorum miſerebitur*. Mundis corde
„ facultas videndi Deum, tamquam purum oculum ad in-
„ telligenda aeterna gerentibus : *Beati mundo corde ; quo-*
„ *niam ipſi Deum videbunt* . Pacificis Dei ſimilitudo, tam-
„ quam perfectè ſapientibus, formatiſque ad imaginem
„ Dei per regenerationem renovati hominis: *Beati pacifici*;
„ *quoniam filii Dei vocabuntur*. Et iſta quidem in hac vita poſ-
„ ſunt compleri, ſicut completa eſſe in Apoſtolis credimus.
(ideſt ut ipſe explicat in l. 1. retract. 19. n. 2., *quadam per-
fectione, cujus capax eſt iſta vita*.) Nam illa omnimoda in
E „ angelicam formam mutatio, quae poſt hanc vitam pro-
„ mittitur, nullis verbis exponi poteſt. *Beati ergo qui perſecu-
„ tionem patiuntur propter juſtitiam; quoniam ipſorum eſt regnum
„ Coelorum*. Haec octava ſententia, quae ad caput redit,
„ perfectumque hominem declarat, ſignificatur fortaſſe &
„ circumciſione octavo die in veteri Teſtamento; & Do-
„ mini reſurrectione poſt ſabbatum, qui eſt utique octa-
„ vus, idemque primus dies; & celebratione octavarum
„ feriarum, quas in regeneratione novi hominis celebra-
„ mus, & numero ipſo Pentecoſtes. Nam ſeptenario nu-
„ mero ſepties multiplicato, quo fiunt quadraginta novem,
F „ quaſi octavus additur, ut quinquaginta compleantur, &
„ tamquam redeatur ad caput, quo die miſſus eſt Spiritus
„ ſanctus, quo in regnum Coelorum ducimur, & haere-
„ ditatem accipimus, & conſolamur, & paſcimur, & mi-
„ ſericordiam conſequimur, & mundamur & pacificamur,
„ atque ita perfecti, omnes extrinſecùs illatas moleſtias pro
„ veritate & juſtitia ſuſtinemus.

Et poſt pauca contra haereticos & ſchiſmaticos dicta,
numero demum 15. textum explicans ſuprarelatum *Gaudete
& exultate, quoniam merces veſtra multa eſt in Coelis*, doctrinam
hanc de octo beatitudinibus claudit, quam poſtea n. 28.
tractandam reaſſumit. Nul-

Nullibi invenietur, terrenum Christi regnum aut ante aut post resurrectionem innuisse Augustinum; nullibi perfectionem septimae denegasse, quamvis declarandam & clarificandam per accessionem octavae dixerit: immo cùm num. 10. de iis differat gradibus, quibus homo in hac vita perficitur, hanc tamen perfectionem taliter in septima stabiliri ostendit, ut dum ad octavam quis pervenit, non novus gradus, antecedentibus quasi pertranseuntibus addatur; sed quod jam perfectum erat in septima per sapientiam; nunc per istum vel ostendatur vel clarificetur. Nullibi Sanctos post hanc temporalem vitam ventilationem expectare debere diei septimae, post quam Coelorum regnum ingrediantur, ideoque usque ad illam cum impiis confundantur: sed regnum Coelorum per singulos eos gradus promissum ostendens, ad illud item elevandum declarat unumquemque justum post consummationem illius vel illarum virtutum, quae per singulos sequendae tantâ mercede proponuntur; quae porro consummatio in fine praesentis vitae constituitur, bonam enim & malam mortem, ut saepiùs alibi docuit, non probat nisi tempus post mortem.

A

B

Inde spiritus beatitatem in summa sapientia futuram n. 5. supra relato dixit, quam lugentes, idest temporalibus omnibus consolationibus renunciantes, & spiritu viventes adipiscentur, ut aeternâ laetitiâ ex eo & in eo perfruantur, ad quod fideliter conversi sunt. Visionem autem Dei mundis corde paratam in sequentibus docens, quam nonnisi stulti per oculos corporeos sibi promittere audebunt, felicitatem animae tunc perficiendam ostendit, cùm ab iis vinculis liberabitur, a quibus solis ipsa praepeditur. Ubi notari debet, quód si Sanctus Pater beatitatem hominis ad resurrectionem carnis definivisset, minori jure tarditatem illorum, qui visionem Dei oculis spondent corporeis, condemnasset. *C*

D mnaſſet. Hanc autem beatitatem viſionis Dei ſolo ſpiritui competere docet, qui ſolus veritatem contemplatur, quae nihil aliud eſt quàm Unigenitus Filius Dei. Hinc timores animae Deum quaerentis, ne poſt hanc vitam pergat ad poenas. Hinc ſitientes & eſurientes juſtitiam, eâdem juſtitiâ veluti cibo ſaturabuntur, & fonte aquae ſalientis in vitam aeternam ſitim explebunt. Quam ſcilicet in ſapientia explebunt, ideſt contemplatione veritatis, quae ſeptima eſt pacificans totum hominem. Quamvis enim ejuſdem hominis inferior pars a ſuo ſuperiori, ideſt ab anima diſtet, cùm corpus in priſtinam terram convertitur, donec reſurgat:
E tamen caro animae juſtae requieſcit in ſpe, non quidem hanc requiem ſentiens aut guſtans, ſed animâ ipsâ jam beatâ hac etiam ſpe certiſſima vivente, ſe nimirum iterum depoſitâ carne jam immortali veſtiendam, cùm in omnimodam angelicam formam mutabitur, quae ipſi ex Evangelio promittitur. In quo poſtremo pronunciando quae eſſet intentio Sancti Patris, fusè infra ſcrutabimur.

Inde dixit eodem libro c. 11. n. 29. „ Credo propterea
„ quod intrinſecùs ſit in ipſa mente, vel etiam ſi quid ſe-
„ cretius cogitari poteſt, gaudium divinorum praemiorum,
„ de quo dicitur ſervo benemerito *Intra in gaudium Domini*
F „ *tui*. Intrinſecus enim eſſe beatitudinem noſtram (jam
„ probaverat cap. 5 n. 13.) ſicut de anima eccleſiaſtica ore
„ prophetico dicitur, *Omnis pulcritudo filiae regis intrinſecus*:
„ nam extrinſecus maledicta & perſecutiones, & detractio-
„ nes promittuntur: de quibus tamen magna merces eſt in
„ Coelis, quae ſentitur in corde patientium, eorum, qui
„ jam poſſunt dicere; *Gloriamur in tribulationibus, ſcientes quo-*
„ *niam tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem,*
„ *probatio verò ſpem; ſpes autem non confundit, quia charitas Dei*
„ *diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt*
„ *nobis*.

Beati-

Beatitudo igitur illa ſpiritalis, quae intrinſecus ſita eſt & ab his probatur, quae extrinſecùs operantur in mundo ab inimicis noſtris, deficere non poteſt corpore moriente, perfici autem poteſt, hoc ipſo jam immortali & animae omninò ſubdito rurſus accedente. Hinc eſt quod octava clarificat, & non quod perfectum non eſt, perfectum facit; ſed perfectum quod jam erat in ſeptima, per octavae acceſſionem declaratur. A

Quibus ad ea, quae poſt hanc vitam futura ſunt fideliter relatis; duplicem beatitatem docuiſſe Sanctum Patrem patet, inadaequatam ſcilicet, quae ſolius nunc ſpiritus eſt, & in ſuo genere perfecta; & adaequatam, quae totius hominis erit poſt glorioſam corporum reſurrectionem. Inde ſunt explicationes, quas in l. 1. retract. huic lectioni addit, ne quiſquam opinaretur eam perfectionem quam proficientibus tribuit, taliter in hac carne haberi poſſe, ut nihil jam iſta ab illa diſtaret. Meminerat enim, quod in libro de Beata Vita ante presbyteratum docuerat, plenitudinem ſcilicet & egeſtatem quae beatitati & miſeriae reſpondent in uno homine ſimul eſſe non poſſe. Cumque homo etiam juſtus in hac vita peregrinetur a Deo, porrò a plenitudine, quae in ejus conſecutione & fruitione conſiſtit, jam diſtat, unde egeſtati & miſeriae ſubjacet donec illum inveniat, quem jam propitium ſe habere ex bonis actibus & affectibus fideliter ſentit. Ideo ſapientiſſimè definivit „ qui beatus non eſt, miſer & egens eſt;„ quod adeò ſentiebat Apoſtolus, quamvis & divina charitate flagraret, & bonis opetibus abundaret, & Chriſtum gereret in carne ſua, ut gemens exclamaret *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* (Rom 7. 24.) fideliſſimè aliundè intimans quàm bene ſciret quid ſibi prodeſſet *deſiderium habens diſſolvi & eſſe cum Chriſto*. (Philip. 1. 23.) B C

Quòd ſi beatitudinem homini in hac vita degenti Auguſtinum.

D ſtinum tribuiſſe quis vellet, nec hoc repugno, dummodo & ipſe concedat mihi eo modo hanc homini adhuc mortali a Sancto Patre conceſſam, quo modo Gentium Apoſtolus ſalutem tribuit Fidelibus. Qui enim dixit *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis* (Tit. 3. 4.), idem etiam dixit *Spe enim ſalvi facti ſumus. Spes autem, quae videtur, non eſt ſpes: nam quod videt quis, quid ſperat? Si autem quod non videmus ſperamus: per patientiam expectamus*. (Rom. 8. 24.) Sicut igitur haec ſalus ſpe certiſſimâ definita ſalus eſſe non deſinit, quamvis adhuc degamus in corpore, quod mortuum Paulus appellat: ita & beatitudo, optimè beatitudo nuncupatur, quamvis modò
E non ſine miſeria vivamus, quia perſeverantibus certiſſima & prompta eſt. Haec de ſana doctrina Auguſtini pro annis 392, 393., 394. ſatis ſint. Nunc illam breviter penſemus anni 395, qui poſtremus Auguſtini presbyteratus fuit.

Quoniam libros duos de Diverſis quaeſtionibus ad Simplicianum clariſſimi Maurini ad annum referunt circiter 397. in praefatione ad Epiſtolas, illam perpendentes ſecundae Claſſis in ordine 31., neque in hoc laborandum mihi eſſe duxi: alia monumenta non remanent, quibus doctrina Sancti Patris anno 395. emergat, niſi ejus epiſtolae eodem
F anno conſcriptae. Prima hujus anni eſt vigeſima ſexta aliàs 39. ad Licentium. Ibi n. 2. effectus ſapientiae complectens, & quomodo ejus ope in temporali hac via homines proficiant, quidve poſt hanc in aeterna acquirant oſtendens, ait. „ Nam ſapientia quos primò alligaverit, & exercitato„ riis quibuſdam laboribus edomuerit, ſolvit poſtea, libe„ ratiſque ſe ſe donat ad fruendum; & quos primò tempo„ ralibus nexibus erudiverit, poſt aeternis amplexibus alli„ gat: quo vinculo nec jucundius, nec ſolidius cogitari quid„ quam poteſt. „ Hanc autem a Chriſto nobis praeſtari, qui veritas eſt, proſequitur n. 6. „ Non dicit verum, niſi

„ veri-

„ veritas: Christus est veritas: veniamus ad eum ne labo- A
„ remus: Ut ipse nos reficiat, tollamus jugum ejus super
„ nos, & discamus ab eo, quoniam mitis est & humilis corde,
„ & inveniemus requiem animabus nostris.„ Ipsam verò requiem in coelesti Jerusalem nobis parari per hujus vitae exercitationem intimat epistolâ 27., aliàs 32. ad Paulinum n. 1. eodem anno data„ Nam & Jerusalem futuram desi-
„ deramus utique, & quantò impatientius desideramus ip-
„ sam, tantò patientiùs sustinemus omnia propter ipsam„ Quid verò in ea coelesti Jerusalem anima consequatur, paucis sed rectissimis exponit n. 4.„ Ille amandus, ille praedi-
„ candus est, apud quem est fons vitae, & in cujus lumine B
„ videbimus lumen sine aenigmate sed facie ad faciem,
„ nunc autem in aenigmate videmus.„ Haec illi scribebat, qui non aliter quàm littera cogit interpretaretur; nec gloriam Sanctis hisce verbis usque ad carnis resurrectionem dilatam per hunc fidei Magistrum suspicatus esset, qui hujus dogmatis vim probè noscebat, & auditoribus & amicis suis & scripto & voce intimabat. Liceat quae de Lazari in sinu Abrahae recepti gaudio, plenitudine, divitiis & bona requie suavissimis perstrinxit nmeris Nolanus Praesul inspicere; ut hinc etiam nostri temporis Poetae intelligant quàm benè carminum harmoniae res spiritales coelestesque C
respondeant, dum ab iis pertractantur, qui earundem dulcedinem norunt, & quod intùs firma fide foveat, verbum bonum foris eructant.

Disce Evangelio loca pauperis, & loca ditis:
  Pauper in Abraham, dives in igne jacet.
Justitia mutante vices, qui fleverat istic
  Gaudet ibi: &, pleno paupere, dives eget.
Iste bonâ requie fruitur, gemit ignibus ille,
  Dives opum poenas, pauper opes recipit.

Mendicat

D Mendicat dives modicum de paupere rorem,
Quem mendicantem ſpreverat in ſuperis.
Inde in eum ardentem nec parvi pauperis imo
Stillavit digito gutta refrigerii:
De magnis quoniam dapibus nec mica referto
Eſurientis in os pauperis exciderat.
D. Paul. Nolan. Poemate XXXIV. v. 485.

Quae omnia cùm orthodoxam Auguſtini fidem praedicent; perperam ipſi tribuitur controverſus ſermo, qui eam patentiſſimè deſtruit.



CAPUT

CAPUT UNDECIMUM. A

Notantur quaedam in Sermone CCLIX. occurrentia, tum in uſu dictionis, tum argumentorum, tum ſcripturarum, quae eumdem ſuſpectum reddere poterunt. Ordo item & inceſſus Sermonis hanc ſuſpicionem ingerunt, multò magis ejuſdem collatio. Proferuntur aliqua loca, ex quibus quae de eleemoſynis de divitiis & foenore dicuntur excerpta videntur; ubi de Sermonibus XLII. & XXXVIII. Editionis novae, quaſi non ſatis Auguſtinum praeſeferentibus, agitur. B

SOlidiſſimis fundamentis ex doctrina Auguſtini nondum presbyteri, ejuſdemque presbyteri, quibus Sermo CCLIX. ſpurius haberi debet, jam propoſitis; alia minora notemus, quae ſi non probationem, tamen congruentiam ſuppeditant, ut de hujuſmodi opere aliter judicetur, quàm uſque nunc opinatum eſt. Et primò, fateor me in tot Auguſtini operibus, quae quinque ſucceſſivis annis, quoad fieri potuit, legi, quaeque quotidiè proſequor, numquam inveniſſe, quód Sanctus Pater periodum incipiens per adverbium comparationis *ſicut*, apodoſim ejuſdem periodi per *Et* loco adverbii *ita* vel *ſic*, concluſerit. Exemplum autem hujuſmodi in ſolo Sermone controverſo habemus n. 2., ubi ait C
„ *Sicut* enim frumentum prius ubi trituratur, ibi purgatur,
„ *Et* locus ubi frumenta pertulerunt trituram, ut a palea
„ mundarentur, decoratur dignitate maſſae purgatae „ quae lectio tum meae Antverpienſi tum Pariſienſi Editionibus concordat.

Verbum item *triplicatio* quo ibidem utitur, numquam pariter occurrit mihi in iis omnibus locis, quibus Sanctus Pater de myſterio centumquinquaginta trium piſcium locutus eſt; cùm tamen in ſingulis prius expenderit myſterium numeri

D numeri quinquagesimi, quo ter multiplicato centumquinquaginta fiunt, quibus addendo ternarium quasi duce & indice hujus multiplicationis, numerus efficitur illorum piscium', qui electorum Ecclesiam significant. Cujus rei exempla; ultra ea, quae superiùs adducta sunt, aliqua item invenient lectores in subsequentibus, quin hoc verbum *triplicationis* offendant.

Numero item 4., postquam opera misericordiae fratribus facienda commendavit, subdit *Alia requies alia via non est, qua perveniamus ad Deum &c.* Nullibi inveniemus, Augustinum, contra nominis valorem, opera misericordiae requiem appellare; quaecumque enim sint, non requie, idest nullo opere
E perfici possunt, cùm opera sint.

Numero 5. ait *Reficitis viscera, quando agapes facitis*. Hanc vocem numquam usurpasse Augustinum inveni in innumerabilibus locis, ubi eleemosynam & pauperum curam suae plebi commendat. Agapum autem eo tantùm loci meminit, ubi contra calumnias Fausti Manichaei disserens, ait „ Nec sacrificia eorum (Paganorum) vertimus in agapes: „ sed sacrificium illud, quod paulo ante commemoravi in„ telleximus, dicente Domino, Misericordiam volo, non „ sacrificium. Agapes enim nostrae pauperes pascunt, sive
F „ frugibus, sive carnibus. (l. 20 c. 20) Unde videtur quòd non facientes agapes, sed eas distribuentes viscera reficerent.

Eodem numero; ait: *Sed quisquis minus idoneus est omnibus dare, det pauperibus pro viribus*. Porrò cùm haec illa sequantur, quae de duplici mercede commemorat in eo qui manu suâ facit eleemosynam, videtur non aliis, quam pauperibus, posse referri. Quid autem illud relevet *quisquis minus idoneus est omnibus dare*, nondum intelligo: agapes enim vel aliam rem quisquis dabat, procul dubio pauperibus dabat; ceteris autem non pauperibus, qui in verbo universi-

tatis

tatis *omnibus* comprehenduntur, non dabat.

Haec de dictione. Quod verò attinet ad argumenta: numero 1. cùm de vita futura agat, & de claritate quam cum Angelis in immortali corpore obtinebimus, quam se fratribus demonstrare non posse fatetur, visuros autem secum omnes promittit qui credunt, non multum relevat quod sequitur „ *Numquid fratres, dignum est ut Christus descendat de Coelo, & cicatrices suas nobis ostendat? Ideo illi incredulo ostendere dignatus est, ut objurgaret dubios, & instrueret credituros*. Videtur enim quòd multò amplius de futura in Coelis in immortali & gloriosо corpore vita auditores erudiret, si vel transfigurationis in monte, vel ascensionis in Coelum exempla adhibuisset, in quibus de vita sanctorum futura, praeclariora demonstravit Dominus Jesus in suo corpore indicia. Quamvis enim etiam tunc, cùm se Thomae palpandum praebuit, & cicatrices protulit, veritatem glorificati corporis demonstraverit: tamen exempla claritatis multò majora in transfiguratione, & ascensione ostendit.

Quod autem ait n. 3. *Nescio utrum auderes conqueri si ab illo, qui omnia condidit, acciperes aliquid quod excellentissimum condidit*, contra doctrinam est Augustini, qui libro de Beata Vita anno 386. explicavit, nihil creatum creaturam rationalem implere posse, quia major animâ solus Deus est: unde sequitur quod quamvis homo aliquid excellentissimum sed creatum consequeretur, non posset non conqueri, quia ipsâ rei consecutae experientiâ se inopem inveniret, Deum non assequendo pro quo factus est, & quo solo impleri jam potest. Et si hoc excellentissimo sed creato contentus esset, tantò majori mergeretur stultitiâ, quantò magis a cognitione sapientiae distaret, vel ab ejus consecutione lubens discederet, quod eodem libro probatur.

Nunc ad scripturarum usum considerandum descendentes; vidimus n. 1. controversi sermonis veluti conclusionem

D ex Evangelio Joannis adhiberi *Beati qui non vident & credunt*. Quamvis verum sit Augustinum non semper versione scripturae usum quae Vulgata nunc, ab eo autem Itala vocabatur, quamque l. 2. c. 15. de Doctrina Christiana supra ceteras commendat; ideoque haud impossibile videri possit, quod hunc textum non per praeteritum sed per praesens tempus secundùm aliam interpretationem usurpare potuisse: tamen habito respectu ad occasionem sermonis, nimirum a recenti lectione Sancti Evangelii, quae in Ecclesia a Fratribus excepta erat, quae tamen Italâ versione ex iis, quae infra dicemus utebatur; difficile admodum apparet,
E quòd Augustinus Ecclesiasticam lectionem deferens, alterius versionis verba tunc usurpare voluerit. Tantò autem magis cùm videamus eumdem textum non per praesens, sed per praeteritum a Sancto Patre explicari atque perpendi in Tract. 121. apud Fratres habito in eumdem locum Joannis, n. 5., ubi ait: „ *Beati qui non viderunt & crediderunt*: „ Praeteriti temporis usus est verbis, tamquam ille, qui „ quod erat futurum, in sua noverat praedestinatione jam „ factum.„ Eodem modo hunc textum refert etiam serm. 143. n. 3., aliàs 60. de Verbis Domini.

Verum quidem est haec verba Beati qui non vident &
F credunt apud Augustinum legi; sed interest occasionem notare. Ubi enim ad populum hanc lectionem ex Evangelio explicabat, sicuti supra notatum est, per praeteritum legit, atque perpendit: ubi autem, quamvis ad populum loquens, non eadem tamen verba commemorare tenebatur, veluti ex Evangelio deprompta, sed ejusdem Evangelii sensum etiam in aliis verbis manentem; per praesens tempus haec reddere incongruum non putavit. Ita Tract. 1. in epist. Joan. n. 3., ait de eodem Thoma Apostolo loquens„ Quia „ tetigit hominem, confessus est Deum. Et Dominus con„ solans nos, qui ipsum jam in Coelo sedentem, manu

con-

„ contrectare non possumus, sed fide contingere, ait illi „ Quia vidisti, credidisti, Beati qui non vident & credunt. „ Palam est non adamussim verba Evangelica reddere tunc voluisse Augustinum, quod apertius fit antecedentia perpendendo. Paulò enim superiùs inquit: „ Nam & quidam „ videndo non credidit, & palpare voluit, & sic credere, „ & ait Non credam nisi digitos meos misero in locum „ clavorum, & cicatrices eju tetigero. „ Porrò lectionem Evangelii aliis contineri verbis sciebat, qui jam ante explicationem epistolae Joannis, magnam ejusdem Evangelii partem tractaverat, ut constat ex Prologo in Decem Tractatus in eamdem Epistolam. Lectio autem Evangelii in hac parte habetur laudato Tractatu 121. n. 5. *Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum, & mittam digitum meum in locum clavorum, & mittam manum meam in latus ejus, non credam*, quae cum nostra Vulgata omninò concordat. Proinde verba illa ex Tractatu 1. in epist. Joan. indicant, Augustinum, sensum quidem Evangelii, cujus optimè meminerat recordari voluisse, non verba. Sed quod tunc usurpari poterat, quia aliud ab hoc diversum tractabat; non eodem jure procedit, si post initium sermonis sui per alia verba textum proximè recitati Evangelii commemorare voluisset, quasi illorum ipse oblitus, quae populum retinere volebat, ait enim *Sed audistis quomodo conclusit Evangelium Joannis Beati qui non vident & credunt*.

A B C

Illud autem, quod n. 3. habet: *Commendemus nos Fratres Deo operibus misericordiae. Confitemini Domino quoniam bonus quoniam in saeculum misericordia ejus. Confitere quoniam habet Deus misericordiam, & vult peccata donare confessis*: ultra quàm quod non multum valet ad commendanda opera misericordiae erga pauperes, nisi veluti magnum computemus quòd ibidem *misericordia Dei* nominetur; addere etiam fas est, non ad confessionem peccatorum nostrorum, ut auctor sermo

D nis, ſed ad ſolam confeſſionem laudis Dei hunc textum Pſalmi 117. pertinentem docere Auguſtinum in Enarratione ejuſdem, ubi haec habet. „ Audivimus, Fratres, admonentem nos atque hortantem Spiritum Sanctum, ut ſacrificium confeſſionis offeramus Deo. Confeſſio autem vel laudis ejus eſt, vel peccatorum noſtrorum. Et illa quidem confeſſio, qua peccata noſtra Deo confitemur, omnibus nota eſt, ita ut hanc ſolam dici confeſſionem in Scripturis Sanctis minus erudita exiſtimet multitudo: nam ubi hoc verbum lectoris ore ſonuerit, continuò ſtrepitus pius pectora tundentium conſequitur. Sed debent

E advertere quomodo dictum ſit in alio Pſalmo, *Quoniam ingrediar in locum tabernaculi admirabilis uſque ad Domum Dei, in voce exultationis & confeſſionis, ſoni feſtivitatem celebrantis*. Hîc enim certè manifeſtum eſt, vocem confeſſionis & ſonum, non ad moerorem poenitentiae, ſed ad laetitiam feſtivitatis celeberrimae pertinere. Aut ſi de tam manifeſto teſtimonio quiſquam adhuc dubitet, quid dicturus eſt ad illud quod in Eccleſiaſtico ſcriptum eſt *Benedicite Dominum omnia opera ejus, date nomini ipſius magnificentiam, & confitemini in laudem ipſius in canticis labiorum, & in citharis, & ſic dicite in confeſſione, quoniam omnia opera Domini bona nimis*?

F Hîc certè nullus vel tardiſſimus ambigit, confeſſionem in Dei laudibus poni: niſi fortè tanta eſt in cujuſquam mente perverſitas, ut dicere audeat etiam ipſum Dominum Jeſum Chriſtum peccata ſua Patri eſſe confeſſum. Quod ſi aliquis impius propter nomen confeſſionis tentaret objicere, facillimè refelleretur ipſa contextione verborum. Sic enim loquitur: *Confiteor tibi*, inquit, *Pater Domine coeli & terrae, quia abſcondiſti haec a ſapientibus & prudentibus, & revelaſti ea parvulis; ita, Pater quoniam ſic placitum eſt coram te*. Quis non eum intelligat in laude Patris haec dicere? Quis non videat, iſtam confeſſionem,

„ non

„ non ad dolorem cordis, ſed ad gaudium pertinere; cùm A
„ etiam praeceſſerit Evangeliſta dicens *In ipſa hora exultavit*
„ *Spiritu-ſancto, & dixit Confiteor tibi Pater?*

„ 2. Quapropter, Cariſſimi, quoniam nullo modo eſt
„ omninò dubitandum, tot congruentibus teſtimoniis, quo-
„ rum ſimilia in Scripturis per vos ipſos poteſtis advertere,
„ non tantùm in peccatis, ſed & in laudibus Dei confeſſio-
„ nem divinis litteris ſolere nominari; quid congruentius
„ in hoc Pſalmo, quando *Alleluja* cantamus, quod eſt *Laudate*
„ *Dominum*, nos admoneri intelligimus, cùm audimus Con-
„ fitemini Domino, quàm idipſum, ſcilicet ut laudemus
„ Dominum? Non potuit laus Dei brevius explicari, quàm B
„ ut diceretur *Quoniam bonus eſt*.... Sed quoniam populo di-
„ citur in praenunciatione futurorum liberato ab omni la-
„ bore & captivitate peregrinationis, & ab omni permix-
„ tione iniquorum, quod ei per gratiam Dei praeſtitum eſt,
„ non ſolum non retribuentis mala pro malis, ſed etiam
„ retribuentis bona pro malis; convenientiſſimè adjunctum
„ eſt *Quoniam in ſaeculum miſericordia ejus*. Qui ergo ex hoc textu confeſſionem peccatorum populo commendare ſtudebat, adeo auctoritate Auguſtini minus eruditae multitudini conſociatur, ut ſuſpicari etiam liceat, haec ſcribentem a calamo pauliſper manum avertiſſe, ne abſque pia pectoris C percuſſione hanc vocem decurreret, ipſeque auctor pii illius ſtrepitus pectora tundentium ex exedra fuerit, ſi tamen hoc aliquando alicui plebi praedicatum ſupponamus.

Adde de dupla miſericordia, quae fit ab eo, *qui pauperibus ſic dat aliquid ut ipſe eroget*; unde etiam *duas mercedes* promittit auctor ſermonis n. 5., nullibi in Auguſtini operibus mentionem factam reperiri. Quae tamen ſi digna viſa fuiſſent ut populus non ignoraret, mirum ſi hîc tantum inſinuarentur. Immo nec Caecilium Cyprianum, nec Chryſoſtomum, nec Hilarium Pictavienſem, nec Zenonem Veronenſem,

D nec Leonem Magnum, nec Maximum Taurinenſem, nec D. Thomam in Summa, quos omnes conſului, in prope infinitis locis, ubi eleemoſynae meritum commendant, & ad eam faciendam auditores inflammant, propoſitis etiam praemiis, quae eam conſecuntur, de hac ſecunda miſericordia, quae ab eo fit, qui manu ſua aliquid pauperibus erogat, & de duplici mercede per hoc aquiſitâ, verba facere nondum inveni. E contra ſaepe occurrerunt in Chryſoſtomo illorum exempla, qui dantes gloriabantur, contra Evaugelicum effatum *Neſciat ſiniſtra tua quod facit dextera tua*; quod vitium potius illos incurrere poſſe qui dant, quàm qui faciunt ut de-
E tur, non infimae rationes afferri poſſent, ſi huic agitandae quaeſtioni hic locus eſſet. Quod interim nunc ſatis eſt, hinc deficere conſtat argumentum Maurinorum, quo nonniſi ex uſu ſcripturarum conformi, & collatione ſimilitudinis doctrinarum, etiam in iis, quae ad mores pertinent, aliquem ſermonem Sancto Patri tribuiſſe declarant. Huic enim eidem tribuendo obſtabant inter cetera explicatio vocis *Confeſſionis* in textu Pſalmi 117., & ſingularis haec doctrina de dupla miſericordia; ſicuti enim iſtam non alibi apud Auguſtinum reperimus; ſic nec textum laudati pſalmi ad confeſſionem peccatorum inſinuandam adhibitum inveniemus.

F Quibus omnibus attentè perpenſis, quomodo hic ſermo Auguſtino tam facilè tributus ſit, juſtè admirari mihi videor; cùm tot teſtimoniis ab eodem opere deſſumptis, multò facilius non ſuus appareat. Quòd ſi minora, quae hìc notavimus praecipitantiam oſtendunt, qua Sancto Patri tributus eſt; quantò magis praejudicium apparebit in attributione doctrinae, quae beatitatem animarum Sanctarum reſpicit quamque expendimus ſupra? Sed fortaſſe alicujus excuſationis loco adduci poſſe videbitur, Sirmondi judicium in hoc ſecutos ampliſſimos Monachos cujus diligentiae nihil effugiſſe arbitrati ſunt. Verùm quia brevem Sirmondi

animu

animadversionem in eo stetisse viderant, quod unam similitudinem doctrinae in aliis tractatibus & sermonibus de mysterio centumquinquagintatrium piscium observaverat; A diligentiori scrutinio locus dabatur in reliquis & in hoc ipso, ut non ex hoc solo capite, nec satis perpenso, tale opus Augustino relinqueretur. Scrutantes autem, Sirmondi judicium nutare invenissent, saltem ab iis, quae morum doctrinam respiciunt, quibus non adtendit vir eruditus. Multò autem magis doctrinam de beatitate Sanctorum dilatâ, immeritò Sancto Patri adscriptam (forsitan non advertente, aut certè silente Sirmondo) in hoc sermone notassent, si sententiam Augustini ex suis libris & ante presbyteratum & in presbyteratu de hoc fideli antiquissimo articulo eruendam curassent, quod nunc praestitum est. B

Verùm, quandoquidem nimius labor, & ex praecedenti tanti viri judicio superfluus haberetur; ille certè necessariò erat subeundus, ut ejusdem sermonis quàm diligentissimam collationem instituerent, detecturi, num saltem in hac doctrina dilationis Sanctorum, secum cohaereret. Quam ego acuratisimè suscipiens, suspicatus sum laudatissimos Monachos in iis stetisse, quae numero 2. leguntur, atque ex iis solis fundamentum sui judicii sumpsisse; ceteris, quae in eodem sermone occurrunt non quantâ opus erat diligentiâ consideratis. Revera si quae numeris 3. & 4 extant attentè pensassent; ex incohaerentiae & contradictionis capite in eadem re, hoc opus Augustino abripuissent. C

Nam numero 2. doctrinam erroneam contineri, & quae millenarium sapiat, quia beatitatem Sanctorum differt ad resurrectionem carnis, auctores habemus Maurinos & Tournely. Qua suppositâ, deteriorum millenariorum notas in hoc sermone delitescere, ex praecedenti examine certum puto. Quas inter cùm confusio justorum & injustorum in eodem receptaculo emergat; dixi denegatâ

D juſtis gloriâ, ſequi in certiſſima eos damni poena manſiſſe; quam rurſus ſi adimere juſtis vellemus, aliud incomodum conſequitur, nimirum etiam peccatoribus maximum differri ſupplicium, dum damni poenae rationem tormenti denegaremus. Haec a numero 2. eruuntur. Longè autem diverſa ſenſiſſe auctorem ſermonis colligere debemus, ea legentes, quae numero 4. ſcripſit. Ibi enim haec habet. *Venturi ſumus in conſpectum ejus, loquantur ibi pro nobis opera noſtra, & ita loquantur ut ſuperent offenſiones noſtras. Quod enim amplius fuerit, hoc obtinebit, vel ad poenam, ſi peccata meruerint: vel ad requiem ſi bona opera.* Haec porrò particulare cu-
E juſque decedentis judicium indicant, & promptam animabus operum retributionem. Quòd ſi aliter accipiantur, ut in tanta perſpicuitate, adhuc dilationem gloriae Sanctorum uſque ad finalis judicii diem latère quis velit juxta ſenſum antecedentibus tributum; jam evidentius fit quod ſuperiùs dixi, nimirum & dilationem poenarum impiis conſtitui ad ſolam reſurrectionem carnis. Quod uſque adeo a veritate abhorret, ut neque Burnetus Britannus id auſus ſit nuperrimè expreſſè pronunciare. Quamvis enim & juſtorum gloria & impiorum poena taliter ſibi reſpondeant, ut alterâ dilatâ, alteram retardari ſub juſto judice neceſſe ſit: tamen
F haereticus gloriam juſtorum ad judicii diem protrahere volens, nihil ſibi tunc de impiorum poena vel examinandum vel pronunciandum calidiſſimè praemiſit. Calidiſſimè, inquam; ſatis enim eſt aliquem de dilatione gloriae juſtorum ſubdolâ cujuſquam voce ſuaderi, ut ex ſe in aliud incurrat, idem ſcilicet pronunciandum eſſe de poena iniquorum; cui ſuaſioni quanta mala ſuccedant, pius quiſque ictu oculi detegit.

Quamobrem cùm ex praecipuis critices regulis ea ſit, ut intentionem alicujus ſcriptoris inveſtigaturi, illam a clarioribus eruamus, & per hanc obſcuriora explicemus; jam verba

verba numeri 4. probant, quòd numero 2. auctor ſermonis A dilationem gloriae Sanctorum non intelligeret, opinionemque Maurinorum deſtruunt, qui ab iis, quae dicto numero 2 ſcripta ſunt, millenarii notam ex recenſito erroneo capite Auguſtino tribuunt. Vel ſi verba numeri 4. hanc notam non valent abſtergere, culpa Sancti Patris ſupra intentionem Maurinorum excreſcit; non enim ſolummodo gloria ſanctis, ſed pena impiis, & item peculiare cujuſque decedentis judicium in hoc ſermone denegatur.

Eligant igitur Maurini quod potius volunt: num ex ſubſequentibus praecedentia, vel ex antecedentibus ſequentia explicanda ſint. Si ſubſequentia antecedentibus explicandis B aſſumunt, jam Auguſtinus aut presbyter aut Epiſcopus (quocunque tempore iſtum ſermonem dixerit) millenarius non eſt: quae enim de peculiari judicio & de prompta, juxta cujuſcunque opera, retributione hîc praedicantur, apertè indicant quid in illis obſcurioribus interpretandis firmiter retinendum ſit. Quo poſito, jam abradetur ab editis omnibus injuſta & indecens Sancto Patri imputatio, quod mihi pro non parvi laboris mercede propoſui. Vel ſenſui antecedentibus tributo accomodari ſubſequentia debent, & tunc, ut notatum eſt, Auguſtinus deterioribus millenariis adeo favit, ut in comparatione illius Vigilan- C tius, Calvinus, Lutherus, atque Burnetus mitiùs deſipuerint; negat enim & impiorum poenas uſque ad judicii diem. Quod tamen cùm Maurini & Tournely ab eo loco l. 20. c. 7. de Civitate Dei nullo modo valeant eruere (neque enim hoc Sancto Patri imputant); jam remanet, quòd hic ſermo, qui deteriora continet iis, quae Auguſtinus ſe aliquando opinatum eſſe confeſſus eſt, incerto & indocto, & fortaſſe etiam infideli adjudicetur.

Hoc verò rectiùs pronunciari etiam alia inſinuant. Vidimus namque numero 2. poſt mille annorum regnum in terris

D terris (juxta Maurinorum interpretationem) coelestem Jerusalem Sanctis promissam, atque adeo terram a coelo diversam supposuisse auctorem sermonis, ut hic in terris hujusmodi regnum futurum primò docuerit, post quod in aliud regnum Sancti perducentur, de quo dictum est *Quod oculus non vidit &c.* E contrà, numero 3. ait. *Sed interim modò donec veniamus ad illam requiem isto tempore, quo laboramus, & in nocte sumus, quamdiu non videmus quod speramus, & in erèmo iter agimus, donec ad Jerusalem coelestem, veluti ad terram promissionis fluentem lac & mel veniamus: nunc ergo cùm tentationes non cessant, benè operemur.* Hic, quantum debilis ingenii aciem
E detegere valeo, temporis praesentis laboribus in fide emensis, futuri temporis beatam requiem proponit auctor sermonis; eamque non primò in terris per mille annos Sanctis promittit, sed in coelesti Jerusalem; quam item adeo ab hac terra diversam supponit, ut terrae nomen eidem in scripturis toties datum, spiritaliter intelligendum ostendat. Hanc namque Jerusalem coelestem veluti terram promissionis fluentem lac & mel desiderandam docet, in quam fideles ingredientur post hanc vitam, sicuti terram promissionis ingressi sunt Israelitae post quadraginta annos in deserto transactos; ubi illud videbimus, quod modo in nocte
F & in erèmo iter agentes, speramus; praemium scilicet bonorum operum, ad quae auditores inflammat, in Deo consequentes. Quis ista cum antecedentibus concordare umquam poterit? Ibi totus terrenus, hic totus spiritalis auctor sermonis est. Ibi Ecclesiam futuram in terris, hic in coelis ponit. Ibi terram promissionis a Jerusalem coelesti discernit; hic terram promissionis fluentem lac & mel non aliud quàm similitudinem coelestis illius Jerusalem intelligendam docet. Ibi nonnisi post emensum in terris regnum, Sanctis promittit *Quod oculus non vidit &c.* hic post temporales labores, post bona opera in hoc erèmo perfecta, illud quod non viden-

videntes ſperamus, viſuros nos eſſe, in eoque requiem coeleſtis Jeruſalem conſecuturos firmiſſimè oſtendit. Quis, inquam iſta antecedentibus reſpondère monſtrabit? Qui tamen, dum inveniretur, laetandum mihi eſſet, & omnibus Sancto Patri ſincera devotione addictis: nam ſi poſteriora ſana ſunt, iiſque antecedentia conſona oſtenduntur, jam Auguſtinus Millenarius non eſt, quod probandum ſuſcepi. Sermo enim, qui hujuſmodi imputationi fundamentum praeſtitit, a ſua obſcuritate per ſe ipſum ubi clariùs loquitur, purgatus, quod ſemper catholica ſentit Eccleſia jam praedicaret. A

Cui defenſioni ſtabiliendae ſi poſt longum conatum inutilem laborem adhibere quis viderit: prudentiori judicio huic ſermoni Doctoris Maximi & fideliſſimi nomen abripiat Cui potius declarando non ſolum contrarietas ſententiarum, quae in eodem detegitur, ſuccurrit; ſed & cetera, quae hîc & circa dictionem, & argumenta, & ſcripturarum uſum, notavimus. Plura addi item poſſent ex contextu totius orationis, unde mihi Auguſtinum non redolet, quae latiſſimè percurriſſet Phereponus in ſuis adnotationibus, niſi huic operi heterodoxis nimis commodo, fidem nominis detrahere timuiſſet. Multa enim ſuperfluè repetita inveniuntur, multa inopinatò emergunt, quae ex nullis antecedentibus poterant expectari; quibus item nullatenus conjunguntur. Adde quòd numquam aliàs invenire erit Auguſtinum a principali propoſito ſuo declinaſſe, ut illius omninò oblitus diſcederet; quod tamen hîc fit: propoſitum enim vitae futurae in glorioſis corporibus de qua pauca & vel erronea vel inintelligibilia dixit, taliter dimittit, ut non amplius ad idem revertatur. Adde multorum numerorum myſteria, in quibus explicandis diligentiſſimus fuit Magiſter meus, hîc conglomeratè effundi, ut vix cognoſci poſſint ab homine in hujuſmodi valdè obſcura materia. B C

teria.

D teria exercitatissimo. Haec autem omnia singillatim percurrere taediosum mihi visum est, quandoquidem nonnulla jam dicta sunt, & quaestionis cardo in substantia doctrinae, quae animarum beatitatem respicit, totus versatur: ex quo capite dum haec oratio Augustino abripitur, perperam ex sola styli convenientia eidem adjudicaretur. Temperare tamen adeo non possum quin dicam, robur, profunditatem, perspicuitatem, unitatem, incessum denique Augustinianum in hoc sermone desiderari; cujus indolis alios non paucos, diligentes lectores, & qui jam Augustini dictionem longo usu didicerint, in editione nova invenient, qui

E tamen quoniam adeo erroneis doctrinis non deturpantur, tolerabiliùs Sancto Patri relinqui possunt.

Quoniam verò & illud dixi, sermonem istum consarcinatum videri ex multis, quae in operibus Augùstino tributis occurrunt; ad hujus veritatis confirmationem duo loca ex duobus sermonibus transcribo, ut collatione facta, lectores intelligant, meliora controversi sermonis verba quae de eleemosynis, de divitiis & de foenore habentur, mutuata istinc esse. Sermone igitur XLII aliàs XXIX. ex L. Homiliis haec habemus n. 1. & 3. „ Manifestè enim dixit, „ nec expositorem habent ista necessarium, sed factorem.

F „ *Quo mihi*, inquit, *multitudinem sacrificiorum vestrorum? Quis* „ *enim exquisivit ista de manibus vestris?* Deus nos quaerit, „ non nostra: sed sacrificium Christiani est eleemosyna in „ pauperem. Hinc enim fit Deus peccatis propitius, Nisi „ autem peccatis propitius fiat Deus, quis remanet, nisi „ reus? Ab eis peccatis & delictis, sine quibus vita ista „ non ducitur, mundantur homines per eleemosynas: quae „ sunt duorum generum, erogando & remittendo quod „ pateris malum. Haec duo genera eleemosynarum Do„ minus magister bonus, qui verbum breviavit super ter„ ram, ut esset fructuosum, & non onerosum, quàm

„ bre-

„ breviter fuerit complexus, audite. *Remittite & remittetur* A
„ *vobis, Date & dabitur vobis*. Remittite & remittetur vo-
„ bis, pertinet ad ignoſcendum: Date & dabitur vobis,
„ pertinet ad erogandum. Ex illa eleemoſyna, qua ignoſcis
„ homini, nihil perdis. Ecce ſtatim veniam petit, igno-
„ viſti, nihil amiſiſti. Charitate amplior domum rediſti.
„ Illud aliud genus eleemoſynarum, ubi jubemur erogare
„ indigentibus, grave videtur: quia quod quiſque dederit
„ hoc ipſum quod dabit, non habebit.

„ 2. Equidem & hinc ſecuros non facit Apoſtolus, qui
„ dixit Prout quiſque habet, non ut aliis ſit refectio, vobis
„ anguſtia. Metiatur ergo unuſquiſque vires ſuas, non B
„ theſaurizare adtendat in terra: det, non perit quod dat.
„ Non dico Hoc non perit: ſed dico hoc ſolum non perit.
„ Alia verò, quae non dederis, & abundant tibi, aut cùm
„ vivis amittis, aut cùm moreris dimittis. Deinde, Fra-
„ tres mei, tanta promiſſio quò nos hortatur, adtendite:
„ *Dimittite*, inquit, *& dimittetur vobis, date & dabitur vobis*.
„ Quando dicit Date & dabitur vobis, adtende cui dicat.
„ Homini dicit Deus, mortali dicit immortalis, mendico
„ dicit tantus paterfamilias. Neque enim hoc revocaturus
„ eſt quod dedimus. Invenimus quem foeneremus. De-
„ mus in uſuram, ſed Deo, non homini. Ei damus, qui C
„ abundat, ei damus, qui dedit quod demus. Et pro mo-
„ dicis rebus, pro frivolis, pro mortalibus, pro putribili-
„ bus, pro terrenis, aeterna, incorruptibilia, ſine fine ma-
„ nentia: quid multa dicturus ſum? ſe promittit, qui
„ promittit. Si amas illum, eme illum ab illo.... Dat de
„ coelo, accipit in terra. Ipſe dat, ipſe accipit. Quaſi foe-
„ nus trajectitium facis. Hîc das, ibi recipis: hîc das res
„ perituras, ibi recipis res ſine fine manſuras.

Et Sermone XXXVIII., aliàs de Tempore 245. n. 8.
ſic ait. „ Sed videre volunt homines divitias ſuas? Fac
„ quod

D „ quòd in terra thesaurizent; numquid non timent videri
„ divitias suas? Effodiunt, & obstruunt, & cooperiunt
„ eas: & cùm obstruxerint & cooperuerint, numquid vi-
„ dent quod habent? Nec ipse videt: optat ut lateat: timet
„ ne pateat. Esse vult dives in opinione, non in veritate.
„ Quasi sufficit habere in conscientia, quod servat in terra.
„ O quanto major tibi & melior conscientia erit, si serva-
„ veris in Coelo! Hìc cùm obruis in terra times, ne sciat
„ servus tuus, & auferat & fugiat: hìc times ne auferat
„ tibi servus tuus; ibi non times, quia benè tibi servat
„ Dominus tuus. Sed habeo, inquis, servum fidelem, qui
E „ & noverit, & non prodat, & non tollat. Compara illum
„ Domino tuo. Si fidelem servum invenisti, Dominus
„ tuus quando te fefellit? Etsi non potest servus tuus tol-
„ lere, potest tamen perdere: Dominus tuus nec tollere,
„ nec perdere potest, nec perire permittit. Servat tibi,
„ manet tibi, liberat te, manentem te facit; nec perdet
„ te, nec perdet quod ei commendaveris. Veni, inquit,
„ accipe quod apud me posuisti. Absit. Non hoc tibi dicit
„ Deus. Ego, inquit tibi, qui te prohibui foenerare, foe-
„ neratus sum a te. Volebas enim foenerare crescere, &
„ dabas homini ut tibi plus redderet, quando accipiebat
F „ gaudens, & quando reddebat plorans. Hoc volebas &
„ ego prohibebam: dixi enim *Qui pecuniam suam non dedit ad*
„ *usuram*. Prohibebam te a foenore: jubeo tibi foenus, me
„ foenera. Hoc tibi dicit Dominus tuus: Pauca vis dare,
„ & plura accipere: relinque hominem qui plangit quando
„ exigis; me inveni, qui gaudeo quando reddo. Ecce ad-
„ sum: da, & sume; tempore redditionis reddam tibi. Et
„ quid reddam? Pauca dedisti, plura sume: mea dedisti,
„ me ipsum sume. Quid enim dedisti nisi ex eo, quod a
„ me accepisti? Quod dederis, non reddo, qui unde dares
„ dedi? qui te ipsum qui dares dedi; qui tibi Christum,
cui

„ cui dares dedi, qui tibi diceret Quando uni ex minimis A
„ meis fecisti, mihi fecisti. Ecce cui das, pascit & esurit
„ propter te: donat & eget. Quando donat, vis accipere:
„ quando eget non vis dare. Eget Christus, quando eget
„ pauper: qui omnibus suis vitam aeternam paratus est
„ dare, in unoquoque paupere temporaliter dignatus est
„ accipere.

Quibus haec Augustinum sapiunt, jam unde auctor sermonis plura collegerit noscent. Qui verò etiam in his Augustinum desiderant; tantò magis in controverso sermone desiderabunt. Porrò istis quoque ex una parte conlatis cum Sermone 3. n. 6. Enarrationis in Psalmum 36., ubi de foenerando Deo loquitur Sanctus Vir; & ex alia cum pluribus sermonibus jam in appendicem rejectis, (quos inter legendos commemoro sermones 86 274. 277. & 310. cum duobus sequentibus) soliditate Augustiniana, ordine, ejusque semper rectâ doctrinâ, & scripturarum consuetâ exercitatione, hos etiam duos carere mihi videor. In primo enim doctrinam remissionis injuriarum ad petitionem veniae illius, qui injuriam contulit, concludit, dicens *Ecce statim veniam petit, ignovisti, nihil amisisti*; cùm certissimum sit verum Christifidelem injuriam pariter remittere debere, & pro persecutore orare, etiamsi iste non petat, de quo nihil loquitur; cùm tamen hoc praecipuè admoneant quae Christus & Stephanus & alii exempla amplissima nobis imitanda relinquerunt.

In secundo, n. 7., historiam divitis ultrò se Domino offerentis, eumque de modo consequendae vitae aeternae interrogantis, quem habemus capite Matthaei 19., confundit cum similitudine divitis in ubertate fructuum solliciti, & in eorumdem possessione satis contenti, nihilque de novissimis cogitantis, quam Dominus discipulis narravit, quamque habemus Lucae cap. 12. Rursus de divite a Matthaeo commemo-

memorato, & de responsione Domini ad eum, sic ait. „
D „ Noluit esse verus amator thesauri sui. Malè tenendo per-
„ didit: multum diligendo amisit. Nam si benè illum di-
„ ligeret, in Coelum migraret, quò ipse postea sequeretur.
„ Domum illi Deus ostendit, ubi migraret; non locum
„ ubi perderet: secutus enim ait Ubi enim fuerit thesau-
„ rus tuus, illic erit & cor tuum.„ In quo duo notanda sunt. Primò Dominum non ista postrema respondisse diviti, a quo interrogabatur: unde illud *secutus enim ait* nec Dominici sermonis veritati in ea historia respondet, nec saltem in eodem Matthaei capite aut in subsequentibus illud legitur, cujus hîc meminit. Nam sententiam illam *Ubi est*
E *thesaurus tuus ibi est & cor tuum* sexto hujus Evangelii capite Dominus protulit; quod ignorasse Augustinum non credo, ut contra veritatem diceret *secutus*. Secundò, verbum migrare in significationem praemittendi, ut ipsi Maurini notant, hîc debet accipi, ut sensum intimum auctoris assequamur; cùm communis ejusdem significatio longè diversa sit. De facto sequentibus ejusdem sermonis numeris, idem verbum migro in verà significatione *discedendi* aut *eundi* usurpatur; quod majorem inverisimilitudinem parit recogitanti, quomodo scilicet Augustinus in eodem sermone tam diversâ, immò nunc verâ, nunc omninò impropriâ significatio-
F ne ejusdem verbi apud plebem usus sit; cùm nec illud suffragaretur, ut facilior rei, quam docebat, per illud verbum eidem plebi fieret intellectus. Scio Augustinum multis locis de se ipso fateri, quòd stylum ad populi captum accomodaverit, nitorem respuens, ut alienae intelligentiae deserviret; ideoque aliquid minùs latinè saepius dixisse, ubi vulgi consuetudo aut utilitas postularet. Exemplum habemus in Enarratione in Psalmum 36. Sermone 3. n. 6., ubi explicans verba *Tota die miseretur & foeneratur*, ait. „ *Foeneratur*
„ quidem latinè dicitur, & qui dat mutuum, & qui acci-
„ pit:

„ pit: planiùs hoc autem dicitur, si dicamus foenerat. Quid „ ad nos quid grammatici velint? Meliùs in barbarismo „ nostro vos intelligitis.„ Sicuti igitur nunc ad faciliorem populi captum foenerare potius quàm foenerari dixit: ita ibi potius mittere, vel praemittere dixisset, quandoquidem vel strictior hoc ferret, vel elegantior significatio verbi *migrare*. Cùm autem communior hujus verbi intellectus sit *discedere ire*, minus verò usitatus *transferre*; tam longe est ut populus per illud verbum in intellectum *praemittendi* posset adduci, quàm verum est, quòd neque apud elegantiores grammaticos id umquam significavit, & a communi sensu abhorret; unde contra Augustini morem & intentionem, non intelligentiae plebis, sed obscuritati gignendae haec usurpatio voluisset. A B

Et quoniam locum incidimus, ubi latissimè de foenerando Deo Augustinus agit, quod alibi in libris suis (sermonibus quibusdam exceptis, qui eidem fortasse non bono jure tribuuntur) nondum inveni; eumdem transcribere inutile non erit, ut ab hujus collatione, de reliquis, quae hinc eruta videntur, rectius judicium possit pronunciari. Ait igitur Sanctus Pater:„ Ergo justus iste *tota die miseretur & „ foenerat*. Sed non gaudeant foeneratores. Invenimus enim „ quemdam foeneratorem, sicut invenimus quemdam pa- C „ nem: ut ubique aperto tecto perveniamus ad Christum. „ Nolo sitis foeneratores, & ideò nolo, quia Deus non „ vult. Nam si ego nolo, & Deus vult, agite: si autem „ Deus non vult, etiamsi ego vellem, malo suo ageret qui „ ageret. Unde apparet Deum hoc nolle? Dictum est „ alio loco, *Qui pecuniam suam non dedit ad usuram*. Et quàm „ detestabile sit, quàm odiosum, quàm execrandum, puto „ quia & ipsi foeneratores noverunt. Rursus autem ego „ ipse, immo Deus noster, qui te prohibet esse foeneratorem, jubet te esse foeneratorem; & dicitur tibi *Foenera*

D „ *Deo*. Si foeneras homini, habes spem; si foeneras Deo,
„ spem non habebis? Si foeneraveris homini, idest mu-
„ tuam pecuniam tuam dederis, a quo aliquid plus quàm
„ dedisti expectas accipere; non pecuniam solam, sed ali-
„ quid plus quàm dedisti, sive illud triticum sit, sive vinum,
„ sive oleum, sive quodlibet aliud; si plus quàm dedisti ex-
„ pectas accipere, foenerator es, & in hoc improbandus,
„ non laudandus. Quid ergo, inquis facio, ut sim utiliter
„ foenerator? Adtende quid facit foenerator. Minus vult
„ dare certè, & plus accipere; hoc fac & tu; da modica,
„ accipe magna. Vide quàm laté crescat foenus tuum.
E „ Da temporalia, accipe aeterna: da terram, accipe coe-
„ lum. Et cui dabo, fortè dicis? Ipse Dominus procedit
„ quem foeneres, qui tibi jubebat ne foenerares. Audi
„ Scripturam, quomodo foeneres Dominum: *Foenerat*, in-
„ quit, *Dominum qui miseretur pauperis*. (Proverb. 19. 17.)
„ Non enim eget a te Dominus sed habes alium, qui a te
„ egeat: illi porrigis, ille accipit. Non enim habet pauper
„ quod tibi retribuat: & tamen ipse vult retribuere, &
„ non invenit quid, sola in illo remanet benevolentia oran-
„ di pro te. Cùm autem pauper orat pro te, tamquam
„ Deo dicit, Domine mutuum accepi, fidedic me. Pro-
F „ inde etsi non tenes pauperem redditorem, sed idoneum
„ tenes fidejussorem. Ecce Deus tibi de Scriptura sua di-
„ cit, Da securus, ego reddo. Quomodo solent dicere
„ fidejussores? quid dicunt? Ego reddo, ego accipio, mihi
„ das. Putamusne & hoc dicit Deus, ego accipio, mihi
„ das. Plane si Deus Christus, quod non dubitatur, ipse
„ dixit *Esurivi & dedistis mihi manducare*. Et cùm illi dicerent
„ *Quando te vidimus esurientem*? ut ostenderet se pauperum
„ fidejussorem, omnium membrorum suorum sponsorem;
„ quia ille caput, illi membra, & cùm accipiunt membra,
„ caput accipit: *Cùm uni*, inquit, *ex minimis meis fecistis, mihi*
„ *fecistis*.

„ *fecistis*. Eja avare foenerator, vide quid dedisti, vide A
„ quid accepturus es. Si dedisses paucam pecuniam,
„ & ille, cui dederas, pro parva pecunia tua daret tibi ma-
„ gnam villam incomparabiliter amplius valentem, quàm
„ dederas tu pecuniam; quantas gratias agens, quantâ lae-
„ titiâ tollereris? Audi quam possessionem det, quem foe-
„ nerasti: *Venite benedicti Patris mei, percipite*, Quid, quod de-
„ distis? absit. Terrena dedistis, quae si non dedissetis, in
„ terra putrescerent. Quid enim inde facturus esses, si non
„ dedisses? Quod periturum erat in terra, servatum est in
„ Coelo. Ergo quod servatum est, hoc accepturi sumus.
„ Servatum est meritum: factus est thesaurus tuus meri- B
„ tum tuum. Nam vide quid sis accepturus. *Percipite re-
„ gnum, quod vobis paratum est ab initio mundi*. Contrà, illi
„ qui foenerare noluerunt, quid audient? *Ite in ignem aeter-
„ num, qui paratus est diabolo, & angelis ejus*. Et quid vocatur
„ regnum quod accipimus? Attendite sequentia: *Isti ibunt
„ in combustionem aeternam, justi autem in vitam aeternam*. Ad
„ hoc ambite, hoc emite, ad hoc foenerate. Habetis Chri-
„ stum in Coelo sedentem, in terra petentem. Invenimus
„ quomodo foeneret justus. *Tota die miseretur & foenerat*.

Nullus porrò ex tot sermonibus, in quibus justorum foe-
nera commemorantur, eam soliditatem, perspicuitatem, C
gradationem, connexionem denique habet, quae hîc elucet: sed modò haec, modo illa hujusce loci sententia refertur, & vel puerili amplificatione producitur, vel nimia obscuritate truncatur; nec in illis ad explicandum quid sit thesaurus in Coelis servatus, meritum eleemosynarum servari docetur pòst mortem coronandum. Legentibus tamen liberum relinquendo quod potius voluerint de duobus supradictis sermonibus sentiendi; & ad controversum sermonem redeundo: dico plus hunc fortasse quàm alios a rationibus deviare quas in hoc verè Augustiniano loco conspicimus,

D communibus quidem verbis expreſſas, ſed multa ſubtilitate,
& ordine & ſententiarum decore ornatas. Illius autem
auctor tantum abeſt ut Auguſtini ſolidam mentem, & di-
cendi artificium aſſequi valeret, ut immò ex ejus vera,
erroneam fortaſſe ſententiam compoſuerit. Imitari enim
volens ſimilitudinem Sancti Patris de laetitia illius, qui
pro parva pecunia alicui data, magnam villam acciperet,
ideoque rem incomparabiliter amplius valentem; ait n. 3.
*Neſcio utrum auderes conqueri, ſi ab illo, qui omnia condidit, acci-
peres aliquid quod excellentiſſimum condidit. At ille non aliquid ex
iis, quae condidit, ſed ſeipſum tibi dat ad fruendum, ſeipſum om-*
E *nium conditorem*. Quibus verbis ultraquàm quod fundata
Auguſtini doctrina obviat, ut ſupra notatum eſt, videtur
etiam ampliorem explicationem eorumdem deſiderare
omnium Chriſtianorum fidem. Credimus enim in Deo
Chriſto propter miſericordioſiſſimam diſpenſationem in
plenitudine temporum aſſumptam atque manifeſtatam,
creaturam etiam, naturam ſcilicet humanam ad altitudi-
nem Divinitatis elevatam; qua utique fruimur, dum in
terris ejus carnem & ſanguinem verè manducamus & bibi-
mus; qua item fruemur cùm reaſſumptis immortalibus cor-
poribus ad ejus claritatem configuratis, ejuſdem beatiſſimâ
F viſione per iſtos etiam carnales oculos tunc facienda, digna-
bimur. Quamobrem verè illud quod excellentiſſimum con-
didit cum gratiarum actione accipimus, & ab eo accipimus
qui ſeipſum condidit in tempore, & nobis donavit; unde
erronea videtur negatio *at ille non aliquid ex iis, quae condidit
&c.*, nam veriſſimum eſt etiam in eo quod ipſe condidit,
ſeipſum nobis donare miſericorditer ad fruendum.

CAPUT

CAPUT DUODECIMUM. A

Conferuntur verba n. 2. controverſi ſermonis cum iis Auguſtini locis, unde deſſumpta videntur, ut eorumdem mutilatio & corruptio detegatur; & conſtans Sancti Patris doctrina de beatitate Sanctorum ante reſurrectionem corporum praeclarius eluceſcat.

SAepè dixi & partim etiam oſtendi, multa controverſi ſermonis verba apud Auguſtinum inveniri; unde ſententias non ſatis perpendentibus, & ſimilitudine verborum attractis illud faciliùs ſubrepit, ut hunc ſermonem verè B Auguſtinianum arbitrarentur. Quia verò ſi loca unde iſtius verba excerpta videntur legentium oculis ſubjiciamus, duo ſatis utilia conſecuntur; hanc diligentiam intermittere nolui. Neceſſitas enim & comoditas collationis faciendae, primò additiones, & mutilationes deteget in doctrina praeſentis beatitatis Sanctorum, unde vel aſtus vel inſcitia auctoris pateſcat; ſecundò fidelem mentem & ſtabilem Auguſtini ſententiam confirmabunt in re tanti momenti; quandoquidem tam frequentia ejus rectae intentionis teſtimonia ſuppetunt, & ex iis potiſſimum locis, unde auctor ſermonis tam diverſae ſententiae ſemina ebibit, & ſuam peculiarem opinionem alienis verbis contexit. Hunc autem laborem haud inutilem hîc cenſeo, quem in reliquis ſupervacaneum putavi; quia hinc verè quaeſtionis cardo pendet; cùm non aliunde quàm ex ſententiis in n. 2. controverſi ſermonis contentis, millenariorum notam Auguſtino inuſſerint Maurini primùm, poſtea etiam Tournely. Reliqua, quae hoc cardinale punctum non reſpiciunt, ideo conferenda propoſui, ut verborum ſimilitudinem quiſque poſſit intueri; in quibus pariter ſi ordo, & majeſtas, & doctrinae conne-

C (margin, beside "ſuppetunt … ſermo-")

A„ tico spiritu octavi sacra-
„ mentum nequaquam latè-
„ ret, quo significatur resur-
„ rectio: (Nam & pro octa-
„ vo Psalmus inscribitur, &
„ octavo die circumcideban-
„ tur Infantes, & in Eccle-
„ siaste ad duorum Testa-
„ mentorum significationem
„ dicitur *Da illis septem & il-*
„ *lis octo*) reseratum est ta-
„ men & occultatum, & so-
B „ lum celebrandum sabbatum
„ traditum est, quia erat an-
„ tea requies mortuorum:
„ resurrectio autem nullius
„ erat, qui resurgens ex mor-
„ tuis jam non moreretur, &
„ mors illi ultrà non domina-
„ retur; ut postquam facta
„ est talis resurrectio in cor-
„ pore Domini (ut praeiret
C „ in capite Ecclesiae, quod
„ corpus Ecclesiae speraret in
„ fine) jam etiam dies Domi-
„ nicus, idest octavus, qui &
„ primus inciperet celebrari.)
Ad inquisit. Januarii l. 2. c.
13. n. 23 epist. 55. aliàs 119.

Septimus quietem futuram Sanctorum in hac terra.

„ Tertium itaq; praeceptum
„ de sabbato, quod diximus

 „ quod

A „ Sic incipit ergo requies no-
„ ſtra quaſi mane: ſed non
„ finitur quia in aeternum
„ vivemus. (Serm. 9 aliàs
de Tempore 96. n. 6.)

Regnabit enim Dominus in terra cum Sanctis ſuis ſicut dicunt Scripturae, & habebit hic Eccleſiam, quò nullus malus intrabit ſeparatam atque purgatam ab omni contagione nequitiae, quam ſignificant centumquinquaginta tres illi piſces, de quibus quantùm memini aliquando tractavimus.

B

„ In his ergo duabus piſca-
„ tionibus tota figuratur Ec-
„ cleſia, & qualis eſt modò,
„ & qualis erit in reſurrectio-
„ ne mortuorum. Modò enim
„ habet ſine numero multos
„ & bonos & malos: poſt re-
„ ſurrectionem autem habe-
C „ bit certo numero ſolos bo-
„ nos.

„ Recordamini ergo pri-
„ mam piſcationem, ubi vi-
„ deamus Eccleſiam qualis eſt
„ iſto tempore &c.

„ Tranſeamus ergo ab iſta
„ privatione, quam tolera-
„ mus, & ad illam venia-
„ mus, quam ardenter opta-
„ mus, & fideliter expecta-
mus.

„ cui dares dedi, qui tibi diceret Quando uni ex minimis A
„ meis fecisti, mihi fecisti. Ecce cui das, pascit & esurit
„ propter te: donat & eget. Quando donat, vis accipere:
„ quando eget non vis dare. Eget Christus, quando eget
„ pauper: qui omnibus suis vitam aeternam paratus est
„ dare, in unoquoque paupere temporaliter dignatus est
„ accipere.

Quibus haec Augustinum sapiunt, jam unde auctor sermonis plura collegerit noscent. Qui verò etiam in his Augustinum desiderant; tantò magis in controverso sermone desiderabunt. Porrò istis quoque ex una parte conlatis cum Sermone 3. n. 6. Enarrationis in Psalmum 36., ubi de foenerando Deo loquitur Sanctus Vir; & ex alia cum pluribus sermonibus jam in appendicem rejectis, (quos inter legendos commemoro sermones 86 274. 277. & 310. cum duobus sequentibus) soliditate Augustiniana, ordine, ejusque semper rectâ doctrinâ, & scripturarum consuetâ exercitatione, hos etiam duos carere mihi videor. In primo enim doctrinam remissionis injuriarum ad petitionem veniae illius, qui injuriam contulit, concludit, dicens *Ecce statim veniam petit, ignovisti, nihil amisisti*; cùm certissimum sit verum Christifidelem injuriam pariter remittere debere, & pro persecutore orare, etiamsi iste non petat, de quo nihil loquitur; cùm tamen hoc praecipuè admoneant quae Christus & Stephanus & alii exempla amplissima nobis imitanda relinquerunt. B C

In secundo, n. 7., historiam divitis ultrò se Domino offerentis, eumque de modo consequendae vitae aeternae interrogantis, quem habemus capite Matthaei 19., confundit cum similitudine divitis in ubertate fructuum solliciti, & in eorumdem possessione satis contenti, nihilque de novissimis cogitantis, quam Dominus discipulis narravit, quamque habemus Lucae cap. 12. Rursus de divite a Matthaeo commemo-

& ecervum frumenti ex alia. Quò A *autem palea destinata sit novimus, & quemadmodum agricolis faciant frumenta laetitiam. Quomodo ergo apparet in area priùs frumentum a palea separatum, & cùm gaudium fecerit post tantos labores inspecta illa congeries, quae latebat in palea, quae non videbatur quando triturabatur, deinde in horreum mittitur atque in secreto servatur: sic in isto saeculo videtis quomodo tritu-* B *ratur haec area; sed palea frumento ita permixta est, ut difficilè discernatur, quia nondum ventilata est.*

„ Hanc enim similitudi-
„ nem habet etiam area cùm
„ trituratur. Est palea, sunt
„ frumenta; sed tamen qui ad-
„ tendunt aream, difficilè vi-
„ dent nisi paleam. Diligen-
„ tia opus est, ut frumenta
C „ in palea inveniantur. Venti
„ autem perflant undique
„ aream. Et cùm trituratur,
„ antequam subrigatur ut pos-
„ sit ventilari, numquid non
„ patitur ventos? Ventus flat
„ ex hac parte, verbi gratia,
„ tollit paleas: inde rursus flat,
„ tollit ad alteram partem.
„ A quacumque parte tollit
„ paleas, & mittit in sepem,
&

D" & in ſpinas & quolibet.
" Non poteſt frumentum in-
" de tollere: non tollit ventus
" niſi paleas. Sed tamen cùm
" tulerint undiq; flantes venti
" paleas, numquid ſolum tri-
" ticum in area remanebit?
" Non inde it niſi palea: re-
" manet autem & palea &
" frumentum. Quando it om-
" nis palea? Quando venerit
E" Dominus ferens ventila-
" brum in manu ſua, & mun-
" dabit aream ſuam, frumen-
" ta recondet in horreum,
" paleam autem comburet
" igni inextinguibili....
" Iſti ergo, Fratres, qui
" carnalia quaerunt in Eccle-
" ſia, & non ſibi proponunt
" quid promittat Deus: quia
" hîc ſunt tentationes, peri-
F" cula, difficultates: poſt tem-
" porales autem labores, re-
" quiem ſempiternam pro-
" mittit, & Angelorum ſan-
" ctorum ſocietatem: ſibi-
" met ergo iſta non propo-
" nentes, ſed carnalia deſide-
" rantes in Eccleſia, ſive ſint
" in area, ſive ſint foris, palea
" ſunt. Nec ad illos valdè
" gaudemus, nec palpamus
eos

A" eos vanis adulationibus. Bo-
" num est illis, ut fiant fru-
" mentum..... Et si vult ho-
" mo, heri fuit palea, hodie
" fit frumentum: si a verbo
" Dei se avertat, hodie fit
" palea. Et non est quaeren-
" dum nisi quales inveniat
" ultima ventilatio. (Serm.
252. n. 5.

" Ipsa est ergo Ecclesia,
B " quae intra sagenam Domi-
" nicam cum malis piscibus
" natat, a quibus corde sem-
" per & moribus separatur
" atque discedit, ut exhibea-
" tur viro suo gloriosa, non
" habens maculam neque ru-
" gam. Corporalem autem
" separationem in littore ma-
" ris, hoc est in fine saeculi
" expectat, corrigens quos
C " potest, tolerans quos corri-
" gere non potest &c.

Epist. 93. aliàs 48. ad Vincent. Rogatistam n. 34.

" Sed respondetur, eum
" communicare peccatis alie-
" nis, qui consentit malis fa-
" ctis; non eum, qui cùm ipse
" sit triticum, simul tamen
" cum palea, quamdiu area
" teritutatur, divinis com-
muni-

D „ municat facramentis. Scri-
„ ptum eft enim *Exite inde*
„ *& immundum ne tetigeritis, &*
„ *qui tetigerit pollutum, pollutus*
„ *eft*: fed confenfione volun-
„ tatis, qua deceptus eft ho-
„ mo primus, non converfa-
„ tione corporis, qua & Ju-
„ das ofculatus eft Chriftum.
„ Pifces quippe illi, de qui-
„ bus in Evangelio Dominus
E „ loquitur, boni & mali in-
„ tra eadem retia, quibus con-
„ gregationis coaptat unita-
„ tem, ufque ad finem faecu-
„ li, quod littoris nomine
„ praefiguratur, pariter na-
„ tant corporibus mixti, fed
„ moribus feparati.

Epift. ad Macrobium 108. aliàs 255. n. 7.

Sic ergo poft ventilationem diei judicii apparebit maffa Sanctorum, F *fulgens dignitate, praepotens meritis, & mifericordiam liberatoris fui praefegerens. Et ipfe erit feptimus dies, Quafi primus dies fit in toto faeculo tempus quod eft ab Adam, ufque ad Noe, fecundus a Noe ufque ad Abraham, & quomodo jam divifit Evangelium Matthaei, tertius ad Abraham ufque ad David, quartus ad David ufque*

ad

ad transmigrationem in Babyloniam, A
quintus a transmigratione usque ad
adventum Domini nostri Jesu Chri-
sti. Ab adventu ergo Domini sextus
agitur, in sexto die sumus. Et ideo
quomodo formatus est homo in Ge-
nesi sexto die ad imaginem Dei, sic
& in isto tempore, quasi sexto die
totius saeculi, renovamur in bap-
tismo, ut recipiamus imaginem Con-
ditoris nostri. Sextus autem dies
iste cùm transierit, veniet requies B
post illam ventilationem, & sabba-
tizabunt Sancti & Justi Dei.

„ Novimus autem legem
„ ex quibus temporibus nar-
„ ret, idest ab exordio mun-
„ di: *In principio fecit Deus Coe-*
„ *lum & Terram*. Inde usque
„ ad hoc tempus, quod nunc
„ agimus, sexta aetas est, ut
„ saepè audistis, ac nostis.
C „ Nam prima aetas computa-
„ tur ab Adam usque ad Noe:
„ secunda a Noe usque ad
„ Abraham: & sicut Mat-
„ thaeus Evangelista per or-
„ dinem sequitur & distin-
„ guit, tertia ab Abraham
„ usque ad David: quarta a
„ David usque ad transmi-
„ grationem in Babyloniam:
„ quinta a transmigratione

D " in Babyloniam usque ad
" Joannem Baptistam: sexta
" inde usque ad finem saeculi.
" Propterea & sexta die fecit
" Deus hominẽ ad imaginem
" suam: quia sexta ista aeta-
" te manifestatur per Evan-
" gelium reformatio mentis
" nostrae, secundùm imagi-
" nem ejus, qui creavit nos:
" & convertitur aqua in vi-
E " num, ut jam manifestatum
" Christum in Lege & Pro
" phetis sapiamus. (Trac. 9.
" in Evang. Joan. n. 6.)

Post septimum autem cum apparuerit in area dignitas messis, fulgor, meritumque Sanctorum, ibimus in illam vitam, & in illam requiem; de qua dictum est Quia oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis adscendit, quae praeparavit Deus diligentibus se. F

" Sed in illo sabbato, ubi
" requiescere dictum est De-
" um ab omnibus operibus
" suis, in requie Dei requies
" nostra significata est: quia
" erit sabbatum hujus saeculi
" cùm transierint sex aetates.
" Quasi sex dies saeculi tran-
" seunt. Unus dies ab Adam
" us-

A " usque ad Noe transiit; alius
" a Diluvio usque ad Abra-
" ham transiit; tertius ab Ab-
" raham usque ad David tran-
" siit; quartus a David usque
" ad transmigrationem Baby-
" lonis transiit; quintus a tran-
" smigratione Babylonis us-
" que ad adventum Domini
" Jesu Christi. Modo sextus
" agitur. In sexta aetate, in
" in sexto die sumus. Ergo
B " reformemur ad imaginem
" Dei, quia sexto die factus
" est homo ad imaginem
" Dei.... Post istum diem,
" in quo modò sumus, post
" istam aetatem, ventura est
" requies, quae promittitur
" Sanctis, quae praefiguratur
" in illis diebus. (Serm. 125.
aliàs ex Sirmondianis 15. n.
C 4.)

" Sex diebus in Genesi con-
" sumavit Deus omnia opera
" sua, & septimo requievit.
" Sex aetatibus humanum
" genus hoc saeculo per suc-
" cessiones temporum Dei
" opera insigniunt, quarum
" prima est ab Adam usque
" ad Noe, secunda a Noe
" usque ad Abraham: tertia

M 2 " ab

D „ ab Abraham uſque ad David: quarta a David uſque transmigrationem Babylonis: quinta inde uſque ad humilem adventum Domini noſtri Jeſu Chriſti: Sexta quae nunc agitur donec excelſus veniat ad Judicium: ſeptima verò intelligitur in requie Sanctorum, non in hac vita, ſed in alia, ubi
E vidit requieſcentem pauperem dives ille, cùm apud Inferos torqueretur: ubi non fit veſpera, quia nullus ibi rerum deffectus eſt. Sexta die in Geneſi formatur homo ad imaginem Dei, ſexta aetate ſaeculi manifeſtatur reformatio noſtra in novitate mentis ſecundùm imaginem ejus, qui
F creavit nos. (Contra Fauſtum Manich. l. 12. c. 8.)

„ Non autem ſine cauſſa illi dies ſic ſunt ordinati, niſi quia & ſaecula ſic curſura erant antequam requieſcamus in Deo. Tunc autem requieſcimus, ſi facimus opera bona.... Ideo quia & iſta tranſitura ſunt opera bona, & ſextus iſte dies, quando

„ per-

A ,, perficiuntur opera bona
,, valde, habet vesperam. In
,, sabbato autem non inveni-
,, mus esse vesperam, quia
,, requies nostra non habebit
,, finem. Vespera enim pro
,, fine ponitur. Sicut ergo
,, sexto die fecit Deus homi-
,, nem ad imaginem suam;
,, sic invenimus sexto saeculo
,, venisse Dominum Jesum
B ,, Christum, ut reformetur
,, homo ad imaginem Dei.
,, Primum enim tempus, tam-
,, quam primus dies ab Adam
,, usque ad Noe: secundum
,, tempus tamquam secun-
,, dus dies a Noe usque ad
,, Abraham: tertium tempus
,, tamquam tertius dies ab
,, Abraham usque ad David:
,, quartum tempus, tamquam
C ,, quartus dies a David usque
,, ad transmigrationem Ba-
,, byloniae: quintum tempus,
,, tamquam quintus dies a
,, trasmigratione Babyloniae
,, usque ad praedicationem
,, Joannis. Sextus dies jam a
,, praedicatione Joannis agi-
,, tur usque ad finem, & post
,, finem sexti diei pervenimus
,, ad requiem. (Enarrat. in

D Psalmum 92. n. 1.)

Tunc velut ad caput reditur. quomodo enim cùm peracti fuerint isti septem dies, octavus ipse est qui primus: sic post terminatas & peractas aetates septem saeculi transeuntis, ad illam immortalitatem beatitudinemque rediemus, de qua lapsus est homo.

„ Quare septem dies Genesim legens, invenies septimum sine vespera, quia
E „ requiem sine fine significat.
„ Prima ergo vita non fuit
„ sempiterna peccanti: Re-
„ quies autem ultima sempi-
„ terna est, ac per hoc &
„ octavus sempiternam bea-
„ titudinem habebit, quia
„ requies illa, quae sempiter-
„ na est, excipitur ab octavo,
„ non extinguitur: neque
F „ enim esset aliter sempiter-
„ na. Ita ergo erit octavus
„ qui primus, ut prima vita
„ non tollatur, sed reddatur
„ aeterna.

Ad Inquisitiones Januarii l. 2. n. 17.

Et ideo octavae complent sacramenta Infantium.

„ Haec octava sententia,
„ quae ad caput redit, perfe-
„ ctumque.

A „ ctumque hominem declarat, significatur fortasse & „ circumcisione octavo die in „ veteri testamento; & Domini resurrectione post sabbatum, qui est utique octavus, idemque primus dies, „ & celebratione octavarum „ feriarum, quas in regeneratione novi hominis celebramus; & numero ipso „ Pentecostes. (De serm. Domini in monte l. 1. n. 12.) B

Hinc & ipse septenarius numerus septies multiplicatus facit quadraginta novem: & addito uno, tamquam reditur ad caput, & fiunt quinquaginta: qui numerus a nobis usque ad Pentecostem in mysterio celebratur.

„ Nam septenario numero „ septies multiplicato, quo C „ fiunt quadraginta novem, „ quasi octavus additur, ut „ quinquaginta compleantur, „ & tamquam redeatur ad „ caput, quo die missus est „ Spiritus-sanctus. (Ubi supra.)

„ Qui dies quinquagenarius habet alterum sacramentum, quòd septies septem quadraginta novem

 fiunt;

A „ quatuor anni temporum vicibus variatur. Decem „ autem quater in quadraginta consumatur: quadragenarius autem partibus suis „ computatus addit ipsum denarium, & fiunt quinquaginta, tamquam merces laboris, & continentiae. Neque enim frustra ipse Dominus & quadraginta dies
B „ post resurrectionem in hac „ terra, & in hac vita cum „ discipulis conversatus est; „ & posteaquam adscendit in „ Coelum, decem diebus interpositis promissum misit „ Spiritum-sanctum, cópleto „ die Pentecostes. (Ubi supra.)

Qui [quinquagenarius] *ter multiplicatus propter mysterium Trinitatis facit centum quinquaginta. Addito quippe ipso ternario, tamquam teste atque indice triplicationis & trinitatis, intelligimus Ecclesiam in illis piscibus centum quinquagima tribus.*
C

„ Propterea quinquagenarius numerus ter multiplicatus, addito ad eminentiam „ sacramenti ipso ternario, & „ in illis magnis piscibus invenitur, quos jam Domini „ post

D „ post resurrectionem, no-
„ vam vitam demonstrans, a
„ dextera parte levari impe-
„ ravit; nec retia rupta sunt,
„ quia tunc haereticorum in-
„ quietudo non erit. Tunc
„ homo perfectus & quietus,
„ purgatus in animo & in
„ corpore per eloquia Domi-
„ ni casta, argentum igne exa-
„ minatum terrae purgatum
E „ septuplum, accipiet merce-
„ dem denarium, ut sint de-
„ cem & septem &c. (Ubi
supra n. 31.)

„ Sed quia in nomine Tri-
„ nitatis vocati sunt omnes,
„ ut in quadragenario nume-
„ ro bene vivant, & dena-
„ rium accipiant, ipsum quin-
„ quagenarium ter multiplica,
„ & fiunt centum quinqua-
F „ ginta. Adde ipsum myste-
„ rium Trinitatis, fiunt cen-
„ tum quinquaginta tres, qui
„ piscium numerus in dextera
„ inventus est: in quo tamen
„ numero innumerabilia sunt
„ millia Sanctorum. Unde
„ nulli mali projicientur, quia
„ non ibi erunt. (Serm. 252.
n. 11.)

Plura

Plura adducere potuiſſem, nam multis in locis eadem ha- A
bet Sanctus Pater, qui ut diximus in iis exponendis, quae
myſteria continent numerorum, diligentiſſimus invenitur,
nec eadem repetere quoties ſeſe offerret occaſio ſupervacaneũ
judicavit. Haec tamen ſufficiant etiam pro dictorum epilogo.
Jam enim conſtat quàm contraria mens Auguſtini ſemper
fuerit intentioni auctoris controverſi ſermonis; qui ſi ea vidit,
quae a nobis relata ſunt, malitiosè vel inſipienter contorſit; ſi
non vidit, damnanda temeritate res ſublimes & ſuo majo-
res ingenio abſque Patrum conſultatione tractandas ſuſce-
pit; & ſicuti Scriptura Sancta praedixit, de ſuo loquens,
mendacium locutus eſt. Mendacia porrò ſunt, quae toties B
repetit, Eccleſiam primò hic in terris futuram poſt cor-
porum reſurrectionem in ſeptimo die; (cùm Auguſtinus
octavam diem reſurrectionem corporum ſignificare & com-
plere doceat); poſt quem (diem ſeptimum) ibunt Sancti in
illam vitam & in illam requiem de qua nec oculus vidit,
nec auris audivit. Nam ſi hanc vitam & iſtam requiem
guſtare non poterunt niſi poſt diem ſeptimum, corruit
quod ſeptima requiem daret; & ſi etiam poſt corporum
reſurrectionem quae etiam de mente Auctoris controverſi
ſermonis per octavam ſignificatur adhuc Sancti non ha-
bent *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis* C
adſcendit; nec in octava perficiuntur, quod contra totam
Auguſtini immo & totius Eccleſiae ſtabilem conſtantem-
que doctrinam eſſe, probatione non indiget.

CAPUT

D

CAPUT DECIMUMTERTIUM.

Examinatur textus Augustini ex libro de Quaestionibus 83. [q. 57. n. 2.], qui nondum contra Sanctum Patrem propositus est, quamvis, prima fronte pro supposito errore praeclariùs quàm ceteri loquatur; explicatur, & inde etiam Sancti Patris rectam & catholicam intentionem elucère ostenditur.

E MIratus porrò sum, quod ii, a quibus tam attentè textus omnes colligebantur, unde Augustinum pro millenariis scripsisse appareret, illum praeterierint, qui prima fronte ceteris omnibus evidentiùs hanc praesefert opinionem; potissimùm cùm ex libro eruatur, quem a nemine Augustini non esse contenditur. Est igitur in libro de Diversis Quaestionibus octuaginta tribus (q. 57. n. 2.), ubi haec lego. „ Fit autem separatio in fine saeculi, tamquam in fine maris, idest in littore; cùm regnant justi primò temporaliter, sicut in Apocalypsi scriptum est (c. 20. v. 7.) deindè in aeternum in illa civitate, quae ibi describitur, ubi jam conquiescente dispen-
F sfatione temporali, quae quadragenario numero significatur, denarius remanet, quam mercedem Sancti, qui operantur in vinea, percepturi sunt. Nullus alius, quantum mihi videtur, locus, auctori controversi sermonis erroris ansam tribuere poterat plus isto, ubi illud *regnant justi primò temporaliter, deinde in aeternum in illa civitate, quae ibi describitur*; rursùs illud *ubi conquiescente dispensatione temporali* pro ejus sententia stare videtur. Ipse autem male verba intelligens, & antecedentia cum subsequentibus non rectè considerans, veluti ad meliorem intelligentiam, Eccle-

fiam

siam commentus est hîc primò futuram, & in septima die in terris requieturam, & post septimum in aeternũ regnaturam. A

Priusquam ad veram istorum verborum intelligentiam accedamus; si Tournely mihi haec, vel Maurini opponerent; ambobus responderem, quòd quatenus ex his verbis certissimè appareret Augustinum pro millenariis scripsisse, non inde consequitur, etiam Sermonem CCLIX. scriptum ab eo fuisse. Librum enim Quaestionum octuaginta trium anno circiter 388. dictare coepit, quas omnes fortasse in diversis chartulis scripserat ante presbyteratum, sermonem autem nonnisi presbyter dicere poterat. Quare si in his verbis millenariorum error lateret, jam contra hunc Augustinum audivimus Sermonem CCXIV. praedicantem, B qui ex primis certè est, quos presbyter habuit; ideoque privatum errorem temporis beneficio cognovisse, & cum populo primitus agentem eumdem retractasse dicendum esset. Quod si post sanam doctrinam, quam Sermo CCXIV. proponit, illam propinasset, quam Sermo continet CCLIX. opinandum remaneret, quod melioribus renuncians, pejoribus denuò se insereret, nec privatim modò ut in libro Quaestionum octuaginta trium, sed publicè ad populum, Valerio item Sanctissimo Episcopo praesente, locuturus.

In istis autem laudatae quaestionis verbis, nihil catholicae fidei adversum contineri, & antecedentia eodem loco C probant, & illud prae ceteris, quòd cùm plura ex hoc libro Augustinus retractaverit, ut videre est l. 1. retract. c. 26., nihil tamen hic idem locus eum offendit. Quod si etiam in invidiam revocaretur, emergeret, Augustinum neque Episcopum rectè de beatitate Sanctorum & Coelorum regno sensisse; ideoque omnia Sancti Patris loca, quibus de hoc catholicissimè differit contra conscientiam scripta viderentur; quod nec Tournely placet, qui illius jam Episcopi rectam fidem commendat; nec Maurinis placebit; qui quamvis

D quamvis cum distinctione a Tournely meditata non procedant: tamen mutatam a Sancto Patre sententiem commemorantes in l. 20. c. 7. de Civitate Dei, hujusmodi maculam extremis saltem vitae ejus adimunt annis. Quo posito cùm Retractationum libri postremi sint, quos Sanctus Pater edidit; si & amplissimi Monachi in verbis quaestionis 57. aliquid dissonum invenirent, etiam sua corrueret limitatio; nam si libros a se conscriptos retractans Augustinus, quae pro millenariis dicta erant, non damnat, nec tunc damnavit cùm libros scriberet de Civitate Dei; ideoque Sanctum Patrem in hoc errore occubuisse consequeretur.

E Sed totius quaestionis verba, quantum ad praesentem rem attinet inspiciamus; quae non solùm Augustinum ab omni suspicione purgant, sed & illam destruunt, quae occasione Sermonis CCLIX. ipsi tributa est; immò rectissimae mentis suae foetum sermonem illum asserere non permittunt. Ex hac item lectione patebit, quàm consona his, quae & Presbyter & Episcopus postea dixit (quae superioribus capitulis retulimus) scripserit Augustinus adhuc laicus; & fortasse unde auctor sermonis ex aqua viva simplici & sana, aquam turbidam, infectam & mortuam malè bibens effecerit, cognoscetur.

F „ 1. *Omnia vestra, vos autem Christi, Christus autem Dei*. Si „ a capite numerentur, inveniuntur unum, duo, tria, „ quatuor. Item *Caput mulieris vir, caput viri Christus, caput* „ *autem Christi Deus*. Si eodem modo numerentur, inveni- „ untur similiter unum, duo, tria & quatuor. Porrò unum „ & duo & tria & quatuor simul ducta fiunt decem. Qua- „ propter disciplinam, quae insinuat conditorem Deum, „ & conditam creaturam, rectè significat denarius nume- „ rus. Et cùm corpus perfectum atque inexterminabile „ subditur animae perfectae atque inexterminabili, rur- „ susque ipsa subditur Christo, & ille Deo, non tamquam

diffi-

„ dissimilis & alterius naturae, sed tamquam Patri Filius, A
„ hoc totum eodem numero denario rectè significatur,
„ quod post resurrectionem corporis speratur futurum in
„ aeternum. Et fortasse propterea qui conducuntur ad vi-
„ neam denarium accipiunt mercedis nomine. Sicut autem
„ unum & duo, & tria & quatuor simul decem fiunt, sic
„ unum & duo & tria & quatuor quater ducta quadragin-
„ ta fiunt.

„ 2. Si autem quaternarius numerus rectè corpus signi-
„ ficat, propter quatuor notissimas naturas, quibus constat,
„ siccam & humidam, frigidam & calidam; & quod pro-
„ gressio a puncto ad longitudinem, a longitudine ad lati- B
„ tudinem a latitudine ad altitudinem, soliditatem corporis
„ facit, quae rursus quaternario numero continetur: non
„ absurdè intelligitur quadragenarius numerus temporalem
„ dispensationem significare, quae pro salute nostra gesta
„ est, cùm Dominus corpus assumpsit, & visibiliter homi-
„ nibus apparere dignatus est. Unum enim & duo & tria
„ & quatuor, quae significant Creatorem & creaturam,
„ quater ducta, idest per corpus temporaliter demonstrata,
„ fiunt quadraginta. Nam inter quatuor & quater hoc in-
„ terest, quod quatuor in statu sunt, quater in motu. Er-
„ go ut quatuor referuntur ad corpus, ita quater ad tempus: C
„ insinuaturque sacramentum corporaliter & temporaliter
„ gestum propter eos qui corporum amore implicati erant,
„ & temporibus subditi. Quadragenarius ergo numerus,
„ ut dictum est, temporalem ipsam dispensationem non
„ incongruè significare creditur. Et fortasse hoc est quod
„ quadraginta dies Dominus jejunavit, saeculi hujus, quod
„ motu corporum & temporibus agitur, ostendens inopiam:
„ & quadraginta dies post resurrectionem cum discipulis
„ fuit, hanc ipsam illis credo dispensationem tempora-
„ lem, quam pro salute nostra gessit insinuans. Quadra-

genarius.

D " genarius autem numerus, partibus suis, quae illum me-
" tiuntur, computatis, usque ad quinquagenarium nume-
" rum pervenit, idipsum commendans, quandoquidem
" ipsae partes, quae illum metiuntur aequales inter se sunt:
" quia cum aequitate administrata corporalis & visibilis
" temporaliter actio, perfectionem homini comparat. Quae
" perfectio, sicut dictum est, denario numero significatur;
" sicut quadragenarius numerus, aequalibus suis partibus in
" summam redactis, denarium numerum parit, quoniam
" ad quinquagenarium, sicut supra dictum est, pervenit.
" Unum enim, quod habent quadraginta quadragies, &
E " duo, quod habent vicies, & quatuor, quod habent decies
" & quinque quod habent octies, & octo quod habent
" quinquies, & decem, quod habent quater, & viginti
" quod habent bis, simul ducta, fiunt quinquaginta. Nul-
" lus enim alius numerus metiri per partes aequales qua-
" dragenarium numerum potest, praeter hos, quos enume-
" ravimus, & computatos ad quinquagenarium numerum
" perduximus. Peractis ergo Dominus quadraginta diebus
" post resurrectionem cum discipulis suis, idest commen-
" dans eis quod pro nobis temporaliter gestum est, adscen-
" dit in Coelum: & post alios decem dies misit Spiritum-
F " sanctum, quo perficerentur spiritaliter ad invisibilia
" capienda, qui visibilibus temporalibusque crediderant.
" Ipsis videlicet decem diebus, post quos misit Spiritum-
" sanctum, eamdem perfectionem, quae per Spiritum-
" sanctum confertur denario numero indicans, quem qua-
" dragenarius, computatis aequalibus partibus suis edit, &
" fit quinquagenarius: sicut temporali dispensatione cum
" aequitate administratâ pervenitur ad perfectionem,
" quam denarius numerus significat, qui denarius simul
" cum quadragenario quinqnagenarium facit. Ergo quo-
" niam perfectio, quae fit per Spiritum-sanctum quamdiu
adhuc

„ adhuc in carne ambulamus, quamvis non vivamus carnaliter, cum ipsa dispensatione temporali copulatur, rectè videtur quinquagenarius numerus ad Ecclesiam pertinere, sed jam purgatam atque perfectam, quae temporalis dispensationis fidem, atque aeternitatis futurae spem charitate amplexatur, idest, quasi quadragenarium numerum, denario numero copulans. Haec autem Ecclesia, ad quam pertinet quinquagenarius numerus, sive quia ex tribus generibus hominum eligitur Judaeis & Gentibus & carnalibus Christianis; sive quia sacramento Trinitatis imbuitur, numero quo significatur ter ducto, ad centenarium & quinquagenarium pervenit. Quinquaginta enim ter ducta fiunt centumquinquaginta. Quò cùm addideris ipsa tria, quia insigne & eminens debet esse quod in nomine Patris & Filii, & Spiritus sancti lavacro regenerationis abluitur, fiunt centum quinquaginta tres. Qui numerus piscium invenitur quia in dexteram partem missa sunt retia; & ideo magnos, idest perfectos & regno Coelorum aptos habet. Nam illa similitudo reticuli non in dexteram missi simul cepit bonos & malos, qui separantur in littore. Nunc enim intra retia praeceptorum & sacramentorum Dei, in Ecclesia quae nunc est, simul boni maliquè versantur. Fit autem separatio in fine saeculi, tamquam in fine maris, idest in littore; cùm regnant justi primò temporaliter, sicut in Apocalypsi scriptum est, deindè in aeternum in illa Civitate, quae ibi describitur, ubi jam conquiescente dispensatione temporali; quae quadragenario numero significatur, denarius remanet, quam mrecedem Sancti, qui operantur in vinea percepturi sunt. A B C

„ 3. Potest etiam si numerus iste consideretur, occurre re ad Ecclesiae sanctitatem, quae per Dominum nostrum Jesum Christum facta est: ut quoniam septenario nu-

N mero

D „ mero creatura constat, cùm ternarius animae & quaternarius corpori tribuitur, susceptio ipsa hominis ducatur ad tria septies. Quia & Pater misit Filium, & Pater in Filio est, & dono Spiritus-sancti de Virgine natus est. Et haec sunt tria, Pater & Filius & Spiritus-sanctus. Septies autem ipse homo temporali dispensatione susceptus, ut fieret sempiternus. Fit ergo summa numeri viginti unum, idest tria septies. Haec autem hominis susceptio ad liberationem valuit Ecclesiae, cui caput est; ut ipsa Ecclesia, propter animam & corpus, in eodem septenario numero reparetur. Ducuntur igitur viginti
E „ unum septies, propter eos qui per Dominicum hominem liberantur, & fiunt simul centum quadraginta septem. Cui additur senarius numerus, signum perfectionis, quia partibus suis quae illum metiuntur constat, ita ut nihil minus, nihilque amplius inveniatur. Metitur quippe illum unum, quod habet sexies; & duo quae habet ter; & tria quae bis habet: quae simul ducta unum & duo & tria sex fiunt. Quod fortasse ad illud etiam sacramentum pertinet, quòd Deus sexta die perfecit omnia opera sua. Ad centum ergo & quadraginta septem cùm sex addideris, quod est signum perfectionis, fiunt centum quin-
F „ quaginta tria: qui numerus piscium invenitur, postea quàm jussu Domini in dexteram partem missa sunt retia, ubi peccatores, qui ad sinistram pertinent, non inveniuntur.

Totam hanc quaestionem transcribere volui; ut, quoniam in numerorum mysteriis scrutandis tota consistit, aequi judices aestiment, num bono jure Phereponus saepiùs dixerit, in hac re lusisse Augustinum. Videre enim est Sanctum Patrem meditationum suarum fundamentum a scripturis eruere, quae sicuti non perperam multa stabilitis numeris pronunciant; nec perperam Christus Dominus noster

ster definito dierum numero aliqua & vivens & post mortem fecit, & scribenda Evangelistis & Apostolis numericè reliquit; sic non in cassum obscura istorum ratio conquiritur, & multâ operâ ad nostram doctrinam a Patribus aperitur. A

Et ut Sanctorum Doctorum labores majori reverentia suscipere assuescamus; duodenarium numerum consideremus, cujus mysterium inquirendum tantò plus admonemur, quantò magis intelligimus non otiosè a Domino duodecim Apostolos primùm electos, & post unius defectionem successore reparatos; nec item otiosè toties in scripturis duodecim portas Coeli nominatas. Quod nisi rectè comprehendimus, negotium facesset sedes Pauli in judicio sessuri, qui tertiusdecimus Apostolorum est, cùm non plus quàm duodecim sedes paratae judicibus praenuncientur. Hunc igitur numerum perpendens Augustinus, ait „ *Fundamenta ejus in* „ *montibus sanctis; diligit Dominus portas Sion*. Quare sunt fundamenta Apostoli & Prophetae? Quia eorum auctoritas „ portat infirmitatem nostram. Quare sunt portae? Quia „ per ipsos intramus ad regnum Dei. Praedicant enim „ nobis, & cùm per ipsos intramus, per Christum intramus, „ Ipse est enim janua. Et cùm dicuntur duodecim portae „ Jerusalem, & una porta Christus, & duodecim portae „ Christus, quia in duodecim portis Christus: & ideo duodenarius numerus Apostolorum. Sacramentum magnum „ hujus duodenarii significatio est numeri. *Sedebitis*, inquit, „ *super duodecim sedes, judicantes duodecim tribus Israel*. Si duodecim sellae ibi sunt, non est ubi sedeat tertius decimus „ Paulus Apostolus, & non erit quomodo judicet: & ipse „ se judicaturum dixit non homines tantùm, sed & angelos. Quos angelos, nisi apostatas Angelos? *Nescitis*, inquit, *quia angelos judicabimus*? Responderet ergo turba. „ Quid te jactas judicaturum? Ubi sedebis? Duodecim B C

 „ sedes

D „ ſedes dixit Dominus duodecim Apoſtolis: unus cecidit
„ Judas, in locum ipſius Sanctus Matthias ordinatus eſt:
„ impletus eſt duodenarius numerus ſedium. Primò locum
„ inveni, ubi ſedeas, & ſic te minare judicaturum. Duo-
„ decim ergo ſedes, quid ſibi velint, videamus. Sacramen-
„ tum eſt cujuſdam univerſitatis, quia per totum orbem
„ terrarum futura erat Eccleſia: unde vocatur hoc aedifi-
„ cium ad Chriſti compagem. Et ideo quia undique veni-
„ tur ad judicandum, duodecim ſedes ſunt: ſicut quia un-
„ dique intratur in illam civitatem, duodecim portae ſunt.
„ Non ſolùm ergo illi duodecim, & Apoſtolus Paulus, ſed
E „ quotquot judicaturi ſunt propter ſignificationem univer-
„ ſitatis ad ſedes duodecim pertinent: quemadmodum quot-
„ quot intrabunt ad duodecim portas pertinent. Partes
„ enim Mundi quatuor ſunt Oriens, Occidens, Aquilo, &
„ Meridies. Iſtae quatuor partes aſſiduè nominantur in
„ ſcripturis. Ab iſtis quatuor ventis, ſicut dicit Dominus in
„ Evangelio a quatuor ventis ſe collecturum electos ſuos:
„ ab omnibus ergo iſtis quatuor ventis vocatur Eccleſia.
„ Quomodo vocatur? Undique in Trinitate vocatur. Non
„ vocatur niſi baptiſmo in nomine Patris & Filii & Spi-
„ ritus-ſancti. Quatuor ergo ter ducta duodecim inveni-
F „ untur. (Enarrat. in Pſal. 86. n. 4.)

Nunc ad propoſitum revertens, & ſuperiora quaeſtionis verba perpendendo, ut verum ſenſum illorum, quae paragraphum ſecundum claudunt eruamus; diligens quiſque jam fortaſſe notavit quinquagenarium numerum ab Auguſtino & praeſenti Eccleſiae tribui, & futurae, proindeque & perfectionem, quae hoc numero demonſtratur. Cùm autem praeſentem dico illam cum Auguſtino intelligo purgatam atque perfectam, quae ex ſingulis fit & in ſingulis invenitur, qui temporalis diſpenſationis fidem, atque aeternitatis futurae ſpem, charitate amplexantur, quamvis iis com-

commixti vivant, qui mali ſunt, nec eâdem fide per cha- A
ritatem vivificatâ ad aeterna praemia nutriuntur.

Hanc autem perfectionem, quae fit in nobis per Spiri-
tum-ſanctum dum adhuc in carne ambulamus, non tamen
ſecundùm carnem viventes, commendavit hominibus Ma-
giſter & Dominus noſter Jeſus Chriſtus, cùm dixit *Eſtote*
perfecti ſicut Pater veſter coeleſtis perfectus eſt (Matth 5. 48.)
Iſtam verò ex comercio & unione carnis noſtrae haudqua-
quam prohiberi Apoſtolus docet, ajens: *Nihil ergo nunc dam-*
nationis eſt iis, qui ſunt in Chriſto Jeſu, qui non ſecundùm carnem
ambulant (Rom. 8. 1.) Unde de hoc ipſo aliàs loquens ait:
Neſcitis quoniam corpora veſtra membra ſunt Chriſti? Et paulò in- B
fra: *An neſcitis quoniam membra veſtra templum ſunt Spiritus-ſancti,*
qui in vobis eſt, quem habetis a Deo, & non eſtis veſtri? (1. Co-
rinth. 6. 15. & 19.) Quamvis enim nunc ſentiamus aliam
legem in membris noſtris, quae repugnat legi mentis noſtrae,
unde quod nolumus, facimus: tamen dum condelectamur
legi Dei ſecundùm interiorem hominem, mente ſervimus
legi Dei: carne autem legi peccati. *Si autem Chriſtus in nobis*
eſt: corpus quidem mortuum eſt propter peccatum; ſpiritus autem vi
vit propter juſtificationem. Quod ſi Spiritus ejus, qui ſuſcitavit Jeſum
a mortuis habitat in nobis: qui ſuſcitavit Jeſum Chriſtum a mortuis,
vivificabit & mortalia corpora noſtra propter inhabitantem ſpiritum ejus C
in nobis. (Rom. 8. 10. 11.) Hinc perfectio juſtorum elucet
etiam quoad corpus, dum ſe ſecundùm jam recitatam digni-
tatem cuſtodiunt, peccatum in propria carne debellantes,
illamque verum Spiritus-ſancti templum efficientes; ideo-
que purgatam atque perfectam Eccleſiam in ſe conſtitu-
entes; quam & regnum Dei, & regnum Coelorum etiam
dum hîc peregrinatur, Dominus appellavit. Verè enim
regnat, & in pace regnat, qui per gratiam jam liber eſt.
Liber autem & in pace conſtitutus ille a Sancto Leone
Papa Magno Auguſtinianae doctrinae verè fidiſſimo inter-

 prete,

D prete, habetur, qui ſpiritu a Deo recto, carnem regit: „ „ quia tunc, inquit, eſt vera pax hominis, & vera liber- „ tas, quando & caro animo judicè regitur, & animus Deo „ praeſide gubernatur. (De Quadrageſima ſerm. 1. pag. 34. col. 2.) Quomodo autem homines ad hanc perfectionem perveniant ſi petamus ab Auguſtino; jam audivimus eum docentem, quòd quicumque hanc temporalem vitam, quae quadragenario numero ſignificatur ad Dominica praecepta conformat, dona Spiritus ſancti in eâdem aquirit, a quo perficitur: quae quidem dona mercedis nomine denario continentur, quadragenarium ſcilicet quinquagenario copu-

E lando.

Quid igitur haec in praeſenti vita perfectio ab ea diſtet, quae poſt hanc vitam in quocumque juſto manifeſtatur, ſi adhuc quaeramus; nihil aliud ſuppetit niſi manifeſtatio & exercitatoriae probationis ceſſatio. Perfecti enim nunc juſti ſunt, ſed in fide futurorum, & in patientia praeſentium. Cùm autem futura jam credita & concupita praeſentia fient, tunc ſpecie ſolidantur, & exercitatio ceſſat, qua Deus probat qui ſunt ejus. Quamobrem haec perfectio velata, quae ab illa revelata excipitur, corporis morte deſtrui non poſſe jam ſentit Auguſtinus: tam enim dixit denarium mer-

F cenariis in vinea laborantibus in fine diei datum, quàm bene dixit denarium percepturos ſanctos in fine ſaeculi. Nam perfectio per Spiritum-ſanctum in nobis operata quamdiu in carne ambulamus, dum non carnaliter vivimus, niſi a Dei revelata viſione exciperetur, quem ſibi tamquam mercedem juſti proponunt; vel numquam fuiſſet perfectio, vel perfectionem eſſe deſineret.

Ad cujus rei ampliorem intelligentiam obſervandum eſt: temporalem diſpenſationem, quae quadragenario numero oſtenditur, ad duo referri: tùm ſcilicet ad quemlibet juſtum, tum ad omnes ſimul ſanctos. Quae unumquemque juſtum reſpi-

respicit, hac mortali & brevi vitâ finitur: quae verò omnes respicit justos, nonnisi fine saeculi terminatur. Quia autem dispensatio temporalis, quae unumquemque justum respicit cum aequitate administrata perfectionem quinquagenarii jam continet, dum merces in fide tenetur, quae charitate conquiritur; ideò morte corporis consequente, perfectio revelatur in spiritu; ipso semper vivente & cum Deo vivente, ut supra notavit Augustinus (serm 252. n. 10.) de spiritibus loquens Sanctorum Patriarcharum, & Prophetarum. Quia verò spiritus jam beatus adhuc perfectionem totius hominis sperat & concupiscit; ideo omnes sancti, quamvis jam secundùm spiritum perfectè beati, temporali adhuc dispensationi copulantur, donec haec temporalis dispensatio conquiescat; conquiescet autem cùm resurgentibus corporibus, totus homo perfectus invenietur. Nunc igitur Sancti & de propria perficienda gloria, & de illorum salute solliciti, ut ait Cyprianus (lib. de mortalitate) qui adhuc inter retia praesentis Ecclesiae cum malis piscibus natant; pro ipsorum vel perseverantia vel conversione ad exemplum jam defuncti Jeremiae (2. Machab. 15. 14.) misericordiae Dominum multum exorant; & ad exemplum Sanctorum Martyrum, quorum in Apocalypsi meminit Johannes Apostolus, illud contra malos repetunt *Usquequò Domine Sanctus & verus non judicas sanguinem nostrum de his, qui habitant in terra* (Apocalyp 6. 10.) Unde intelligimus peculiarem cujusque justi dispensationem temporalem cessare, corpore recedente; generalem autem beatorum temporalem dispensationem non priùs conquiescere, quàm depositum corpus, sed immortale & gloriosum primaevo spiritui rursus accedat.

His consonant, quae de septem aetatibus mundi quasi septem diebus saeculi supra ex Augustino notavimus. Sicuti enim sexta aetas, sive sextus dies cuique terminatur in cor-

D poris morte; qui ſextus a requie perpetua ſeptimi diei pro juſtorum ſpiritibus excipitur; quibus jam in ſeptimo conſtitutis, adhuc pro morituris hominibus ſexta aetas ſive ſextus dies decurrit uſque in ſaeculi finem, quae a ſeptima ſine veſpera amplectitur, demumque per acceſſionem octavae, ſive per corporum reſurrectionem clarificatur atque manifeſtatur: ſic diſpenſatione temporali pro mortuis quieſcente, eadem adhuc in morituris perſeverat ſub uno reſpectu, & in mortuis & beatis ſub alio, donec tempus & mors ab aeternitate atque immortalitate abſorbeatur.

Ideo quinquagenarii perfectio, quae in hac temporali di-
E ſpenſatione aquiritur, perfectionem totius hominis continet, ſuo tempore declarandam; animae quidem poſt corporis mortem, totius verò hominis in corporum reſurrectione. Hoc ipſum innuit Sanctus Pater eodem libro (quaeſt. 59. n. 3.) ubi verba explicans *Vigilate ergo quia neſcitis diem neque horam*, ait „ Non modo illius ultimi temporis, quo venturus „ eſt ſponſus, ſed ſuae quiſque diem dormitionis & horam „ neſcit. Quiſquis autem paratus eſt uſque ad ſomnum, „ ideſt, uſque ad mortem, quae omnibus debetur, paratus „ etiam invenietur cùm illa vox media nocte ſonuerit, qua „ omnes evigilaturi ſunt„ Tunc autem fiet quod initio lau-
F datae quaeſtionis 57. ſcripſit; corpus nimirum perfectum atque inexterminabile ſubdetur animae perfectae atque inexterminabili, rurſuſque ipſa ſubdetur Chriſto, & ille Deo, non tamquam diſſimilis & alterius naturae, ſed tamquam Patri Filius, quod totum numero denario rectè ſignificatur; quodque poſt reſurrectionem corporis ſperatur futurum in aeternum; unde quomodo denarii mercedem in fine percepturi ſint ſancti probè intelligimus.

Hinc verò ejuſdem Eccleſiae veluti tria tempora computamus: primum militiae, alterum gloriae & pacis in ſinu Abrahae, tertium reparationis perpetuae. Primum Eccle-
ſiam

ſiam ſignificat, quae nunc eſt & malis corporaliter commixta eſt: ſecundum Eccleſiam notat, de qua Paulus Apoſtolus dixit *Eccleſiam primitivorum, qui conſcripti ſunt in Coelis* (Hebr. 12. 23.): tertium Eccleſiam illam promittit ubi Sancti in immortalibus etiam corporibus ab impiis ſeparati regnabunt in aeternum. Quia verò perfectio hominis in prima, perfectionem meretur declarandam in ſecunda, & coronandam in tertia, idemque numerus quinquagenarius has omnes perfectiones indicat: ideo rectiſſimè ter multiplicatur, ut fiant centum quinquaginta, & omnia tempora ad ſuum finem perducta monſtrentur. Qui enim, corpore moriente quinquagenarium in fide & perſeverantia complet, centenarium aſſequitur, qui a quinquagenario bis ducto formatur: rurſus qui. Centenario alium quinquagenarium addit, ad centenarium quinquagenarium pervenit, qui numerus undequaque completam perfectionem ſignificat. A B

Audiamus Petrum Bungum in myſteriis numerorum ad numerum C. „ Centeſimus item myſticè bis continet quin-„ quagenarium. Ut enim quinquagenarius ſpiritalis vitae „ hieroglyphicum eſt, & animi ejus, qui divinis intentus, „ ſublimia quaeque mente concipiat & contempletur: ita „ duplicatus in Centenarium negotioſam ſolet inſinuare. „ Quinquageſimo enim poſt reſurrectionem die deſcendit „ Spiritus-ſanctus. Et operum noſtrorum fructus uberrimi „ atque pinguiſſimi, ad Centenarium uſque numerum „ cumulantur; eorum inquam, qui vitae integri ſcelerum-„ que puri peregrinationis noſtrae curſum piè ſanctèque „ peregerunt,„ Apud ipſum legantur quae ex Scripturis in hanc rem refert. Sicuti igitur Centenarius illorum requiem indicat, qui ab hoc mundo bonis meritis ſtipati deceſſerunt; ita centenarius quinquagenario copulatus aeternam vitam in fine temporum demonſtrat. Audiamus Bungum denuò ad numerum CL. qui a ſupraſcripta (cap. IX.) Hilarii au- C

ctoritate

D ctoritate multa mutuasse videtur. „ Centesimus quinquage-
„ simus numerus in scripturis divinitùs inspiratis admo-
„ dum sacratus habetur & mysticus, propter certam
„ quantitatem, quam summa sua complectitur, nam tri-
„ plum in se continet quinquagenarium, quasi illum mul-
„ tiplicaverit Trinitas. Unde hac de caussa non ineptè con-
„ spicimus Psalmorum coaequationem fieri numero Cen-
„ tesimo quinquagesimo; qui si per singulos quinquage-
„ narios articulos interrogetur, magnum aliquid & valde
„ mysticum continere probabitur. Non enim frustra quin-
„ quagenarius Psalmus est de poenitentia; centesimus de
E „ misericordia & judicio; centesimus quinquagesimus de
„ Laude Dei in sanctis ejus, quando completo illorum
„ numero, magnae festivitatis completorium celebrabitur
„ in aeternum ..... Poenitentiae vox est *Miserere mei Deus*
„ *& secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem*
„ *meam* (Psal. 50) Justitiae Christi vox in Electis suis:
„ *Misericordiam & judicium cantabo tibi Domine* (Psal. 100.)
„ Vitae aeternae vox est *Laudate Dominum in Sanctis ejus, &*
„ *Omnis spiritus laudet Dominum*. (Psal. 150.)

Huic igitur numero Centesimo quinquagesimo cùm ternarium addimus, propter mysterium Trinitatis (a qua &
F nostrae naturae creatio & conservatio & reparatio procedit, atque ea perfectio, qua totus homo meretur in tempore ut coronetur in fine) centumquinquaginta tria fiunt, qui numerus piscium in dextera inventus futuram Ecclesiam justorum apertè demonstrat.

Quòd autem illud desiderium, illaque sollicitudo, quae Sanctis nunc inest nihil perturbationis, aut doloris, aut tristitiae eisdem conferat, quibus quies aeterna diei septimae minuatur, Augustinus eodem libro (quaest. 67. n. 5.) declarat, textum explicans Apostoli *Scimus autem quòd omnis creatura congemiscit & dolet usque adhuc*. (Rom. 8. 2.); qui huic

huic intelligentiae videtur contrarius; creaturae enim nomine tam mortui, quàm morituri comprehenduntur. Docens igitur quod omnis creaturae nomine homo intelligendus sit, subdit: „ Cùm ergo miser homo congemiscit & „ dolet, omnis creatura congemiscit & dolet usque adhuc. „ *Usque adhuc* autem rectè dixit: quia etiamsi sint aliqui jam „ in sinu Abrahae; & latro ille cum Domino in paradiso „ constitutus illo die, quo credidit dolere destiterit: tamen „ usque adhuc omnis creatura congemiscit & dolet, quia „ in iis, qui nondum liberati sunt, omnis est, propter „ spiritum & animam & corpus.„ Et n. 7. ejusdem quaestionis, examinans num hic Apostoli textus etiam Angelos sanctos comprehendere possit, dum sub eodem creaturae nomine & ipsi veniunt, ait „ Quamvis enim „ adjuvent nos pro sua sublimitate, dum obtemperant „ Deo, qui pro nobis etiam unicum filium suum dignatus est mittere: tamen sine gemitu & doloribus id fa„ cere credendi sunt, ne miseri existimentur; feliciorque „ sit de numero nostro Lazarus ille, qui jam in Abrahae „ sinu requiescit. Praesertim quia dixit, eamdem creatu„ ram, quae congemiscit & dolet, vanitati esse subjectam: „ quod de summis & excellentibus Virtutum Potestatum„ que creaturis nefas est credere. Deinde liberandam eam „ dixit a servitute interitus: quò illos cecidisse qui in Coe„ lis agunt vitam beatissimam, non possumus credere. A B C

Proindè, certâ jam apud Sanctum Patrem ex proximè relatis duobus textibus sanctorum beatitate secundùm spiritum, separatio illa in fine saeculi, tamquam in fine maris, idest in littore facienda, ad sola Sanctorum corpora referenda est, juxta quae usque in diem mortis boni vivi malis item vivis inter retia praeceptorum & sacramentorum Dei, in Ecclesia, quae nunc est simul versantur; corporaque eorum quàm plurima spiritu destituta sine discre-

tione

D tione conquieſcunt. Quis enim dicat quot millia martyrum corpora cum confuſis gentium corporibus & iniquorum eadem terra nunc tegit? Separabuntur autem & honore debito veſtientur, cùm in ictu oculi reſurgent, & immutabuntur, & dicent impii, quibus immutatio non competit; *Hi ſunt, quos habuimus aliquandò in deriſum, & in ſimilitudinem improperii. Nos inſenſati vitam illorum aeſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore. Ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei, & inter ſanctos ſors illorum eſt.* (Sap. 5. 3. & ſeqq.)

Quibus praemiſſis intentio Sancti Patris in illis verbis
E *cùm regnant juſti primò temporaliter, deinde in aeternum*, elucet. Jam enim juſti etiam in hac carne regnum Chriſti ſunt, quos Spiritus-ſanctus perficit, in quibus nunc Chriſtus regnat per fidem: quod regnum temporaliter in juſtis durat donec finis ſaeculi adveniat, qui die mortis uniuſcujuſque, quaſi ſextâ aetate pretereunte, concluditur. Tunc jam in littore ſpiritus juſtus a malis ſeparatus, cum quibus in carne morari conabatur, in ſinum Abrahae ab Angelis effertur; regnumque Chriſti interius declaratur, & ſeptimae diei requie aeterna excipitur. Sed quoniam adhuc reſurrectio carnis & complendus fratrum numerus expectan-
F dus eſt, temporale etiam regnum hoc non abſurdè nominatur, quod temporum viciſſitudinibus & momentis a morituris computatur; donec hac conquieſcente diſpenſatione temporali, fiat unum ovile, & unus Paſtor, & dies perpetua illa eluceſcat, quae non habet veſperam, temporumque computationi tranſeuntium, aeternitas ſuccedat nullis aetatibus aut momentis computanda.

Haec autem intellexiſſe Sanctum Patrem tum ex dictis eodem & ſubſequentibus locis ſentio, tum ex ejuſdem ſilentio in libro Retractationum cùm hunc quaeſtionum librum ſcrutabatur, tum demum ex commemoratione textus

Apo-

Apocalypsis: non enim dicit solummodo *cùm regnant justi primò temporaliter*, sed addit, *sicut in Apocalypsi scriptum est, deindè in aeternum in illa civitate, quae ibi describitur*. Vel scilicet putans, antecedentia satis catholicam intentionem suam de eo textu ostendere; vel sibi ampliorem ejusdem explanationem alibi reservans. Hanc autem invenimus l. 20. de Civit. Dei c. 9., quam libentiùs transcribo, quia eumdem illum textum Apocalypsis (cap. 20) diligentissimè tractat, a quo, ut Sanctus Pater ibidem ait (cap. 7.) millenarii arma sumpserunt, veluti ex illo, qui pluries mille annorum spatium commemorat, & ad aliqua veluti terminum figit. Ibi igitur haec habet. A

„ Interea dum mille annis ligatus est diabolus, sancti regnant cum Christo etiam ipsis mille annis eisdem sine dubio, & eodem modo intelligendis, idest, isto jam tempore prioris ejus adventus. Excepto quippe illo regno, de quo in fine dicturus est. *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis Regnum*, nisi alio aliquo modo, longè quidem impari, jam nunc cum illo regnarent sancti ejus, quibus ait *Ecce ego vobiscum sum usque in consummationem saeculi*; profectò non etiam nunc diceretur Ecclesia regnum ejus, regnumve Coelorum. Nam utique isto tempore in regno Dei eruditur scriba ille, qui profert de thesauro suo nova & vetera, de quo suprà locuti sumus. Et de Ecclesia colllecturi sunt zizania messores illi, quae permisit cum tritico simul crescere usque ad messem: quod exponens ait *Messis est finis saeculi, messores autem Angeli. Sicut ergo colliguntur zizania & igni comburuntut, sic erit in consummatione saeculi: mittet Filius hominis Angelos suos, & colligent de regno ejus omnia scandala*. Numquid de regno illo, ubi nulla sunt scandala? De isto ergo regno ejus, quod est hîc Ecclesia colligentur. Item dicit *Qui solverit unum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno Coelorum: qui autem fecerit & docuerit, magnus vocabitur in regno* B C

Coelo-

D „ *Coelorum*. Utrumque dicit in regno Coelorum & qui non
„ facit mandata quae docet, hoc est enim solvere, non
„ servare, non facere; & illum qui facit, & sic docet: sed
„ istum minimum, illum magnum. Et continuò secutus
„ adjungit, *Dico enim vobis, quia nisi abundaverit justitia vestra*
„ *supra Scribarum & Pharisaeorum*, idest supra justitiam eorum,
„ qui solvunt quod docent. De Scribis enim & Pharisaeis
„ dicit alio loco *Qui dicunt & non faciunt* Nisi ergo super
„ eos abundaverit justitia vestra, idest ut vos non solvatis,
„ sed faciatis potius quod docetis: *non intrabitis*, inquit, *in*
„ *regnum Coelorum*. Alio modo igitur intelligendum est re-
E „ gnum Coelorum, ubi ambo sunt, & ille scilicet qui sol-
„ vit quod docet, & ille qui facit; sed ille minimus, iste
„ magnus: alio autem modo regnum Coelorum dicitur,
„ quò non intrat nisi ille qni facit. Ac per hoc ubi utrum-
„ que genus est, Ecclesia est, qualis nunc est: ubi autem
„ illud solum erit, Ecclesia est qualis tunc erit, quando
„ malus in ea non erit. Ecclesia ergo & nunc est regnnm
„ Christi, regnumque Coelorum. Regnant itaque cum
„ illo etiam nunc Sancti ejus, aliter quidem quàm tunc
„ regnabunt: nec tamen cum illo regnant zizania, quam-
„ vis in Ecclesia cum tritico crescant. Regnant enim cum
F „ illo qui faciunt quod Apostolus ait. *Si consurrexistis cum*
„ *Christo, quae sursum sunt capite, ubi Christus est in dextera Dei*
„ *sedens: quae sursum sunt quaerite, non quae super terram*. De
„ qualibus item dicit, quòd eorum conversatio sit in Coe-
„ lis. Postremò regnant cum illo, qui eo modo sunt in
„ regno ejus, ut sint etiam ipsi regnum ejus. Quomodo
„ autem sunt regnum Christi, qui ut alia taceam, quam-
„ vis ibi sint donec colligantur in fine saeculi de regno
„ ejus omnia scandala, tamen illic sua quaerunt, non
„ quae Jesu Christi?
„ 2. De hoc ergo regno militiae, in quo adhuc cum
„ ho-

„ hoste confligitur, & aliquando repugnatur, repugnantibus vitiis, aliquando cedentibus imperatur, donec veniatur ad illud pacatissimum regnum, ubi sine hoste regnabitur, & de hac prima resurrectione, quae nunc est, liber iste sic loquitur. Cùm enim dixisset alligari diabolum mille annis, & postea solvi brevi tempore; mox recapitulando quid in istis mille annis agat Ecclesia, vel agatur in ea, *Et vidi*, inquit, *sedes & sedentes super eas, & judicium datum est*. Non hoc putandum est de ultimo judicio dici: sed sedes praepositorum, & ipsi praepositi intelligendi sunt, per quos Ecclesia nunc gubernatur. Judicium autem datum nullum melius accipiendum videtur, quàm id quod dictum est. *Quae ligaveritis in terra, ligata sunt & in Coelo; & quae solveritis in terra soluta sunt & in Coelo*. Unde Apostolus, *Quid enim mihi est*, inquit, *de his, qui foris sunt judicare? Nonne de his, qui intus sunt vos judicatis? Et animae*, inquit, *occisorum propter testimonium Jesu, & propter verbum Dei*: subauditur quod postea dicturus est, *regnaverunt cum Jesu mille annis*; animae scilicet Martyrum, nondum sibi corporibus suis redditis. Neque enim piorum animae mortuorum separantur ab Ecclesia, quae etiam nunc est regnum Christi. Alioquin nec ad altare Dei fieret eorum memoria in communicatione corporis Christi; nec aliquid prodesset ad ejus in periculis baptismum currere, ne sine illo finiatur haec vita; nec ad reconciliationem, si forte per penitentiam malamve conscientiam quisque ab eodem corpore separatus est. Cur enim fiunt ista, nisi quia fideles etiam defuncti membra sunt ejus? Quamvis ergo cum suis corporibus nondum, jam tamen eorum animae regnant cum illo, dum isti mille anni decurrunt, Unde in hoc eodem libro, & alibi legitur *Beati mortui, qui in Domino moriuntur, amodò & jam dicit Spiritus ut requiescant a laboribus suis; nam opera eorum*

„ *secun-*

D „ *sequuntur illos*. Regnat itaque cum Christo nunc primùm „ Ecclesia in vivis & mortuis. *Propterea enim*, sicut dicit „ Apostolus, *mortuus est Christus, ut & vivorum & mortuorum* „ *dominetur*. Sed ideo tantummodo Martyrum animas commemoravit, quia ipsi praecipuè regnant mortui, qui „ usque ad mortem pro veritate certaverunt. Sed a parte „ totum etiam ceteros mortuos intelligimus pertinentes ad „ Ecclesiam, quod est regnum Christi.

„ 3. Quod verò sequitur, *Et si qui non adoraverunt bestiam, nec imaginem ejus, nec acceperunt inscriptionem in fronte,* „ *aut in manu sua*: simul de vivis & mortuis debemus accipere. Quae sit porrò ista bestia quamvis sit diligentiùs E „ inquirendum, non tamen abhorret a fide recta, ut ipsa „ impia Civitas intelligatur, & populus infidelium contrarius populo fideli, & Civitati Dei. Imago verò simulatio ejus mihi videtur, in eis videlicet hominibus, qui „ velut fidem profitentur, & infideliter vivunt. Fingunt „ enim se esse quod non sunt, vocanturque non veraci effigie, sed fallaci imagine Christiani. Ad eamdem namque bestiam pertinent non solùm apertè inimici nominis „ Christi, & ejus gloriosissimae Civitatis, sed etiam zizania, quae de regno ejus, quod est Ecclesia, in fine saeculi F „ colligenda sunt. Et qui sunt, qui non adorant bestiam, „ nec imaginem ejus, nisi qui faciunt quod ait Apostolus „ *Ne sitis jugum ducentes cum infidelibus*? Non adorant enim, „ idest non consentiunt, non subjiciuntur, neque accipiunt „ inscriptionem, notam scilicet criminis in fronte, propter „ professionem; in manu propter operationem. Ab his „ igitur malis alieni, sive adhuc in ista mortali carne viventes, sive defuncti, regnant cum Christo jam nunc, quodam modo huic tempori congruo, per totum hoc intervallum, quod numero mille significatur annorum.

„ 4. *Reliqui eorum*, inquit, *non vixerunt*. Hora enim nunc „ est

„ eſt, cùm mortui audient vocem Filii Dei, & qui audie- A
„ rint vivent: reliqui verò eorum non vivent. Quod verò
„ ſubdidit *donec finiantur mille anni*: intelligendum eſt quòd
„ eo tempore non vixerunt, quo vivere debuerunt, ad vi-
„ tam ſcilicet de morte tranſeundo. Et ideo cùm dies ve-
„ nerit, quo fiet & corporum reſurrectio, non ad vitam
„ de monumentis procedent, ſed ad judicium; ad damna-
„ tionem ſcilicet, quae ſecunda mors dicitur. Donec enim
„ finiantur mille anni quicumque non vixerit, ideſt iſto
„ toto tempore quo agitur prima reſurrectio, non audierit
„ vocem Filii Dei, & ad vitam de morte tranſierit: pro-
„ fectò in ſecunda reſurrectione, quae carnis eſt, in mor- B
„ tem ſecundam cum ipſa carne tranſibit. Sequitur enim
„ & dicit, *Haec reſurrectio prima eſt. Beatus & Sanctus qui ha-*
„ *bet in hac prima reſurrectione partem*; ideſt particeps ejus eſt.
„ Ipſe eſt autem particeps ejus, qui non ſolùm a morte,
„ quae in peccatis eſt reviviſcit, verum etiam in eo quod
„ revixerit, permanebit. *In iſtis*, inquit, *ſecunda mors non*
„ *habet poteſtatem*. Habet ergo in reliquis, de quibus ſuperius
„ ait *Reliqui eorum non vixerunt, donec finiantur mille anni*:
„ quoniam iſto toto temporis intervallo, quod mille annos
„ vocat, quantumcumque in eo quiſque eorum vixit in
„ corpore, non revixit a morte, in qua eum tenebat im- C
„ pietas, ut ſic reviviſcendo primae reſurrectionis particeps
„ fieret, atque in eo poteſtatem ſecunda mors non haberet.

Haec pro dictorum Epilogo ſint, ex quibus vera Sancti Patris intentio etiam in propoſita quaeſtione innoteſcit. Et quamvis nec in illis pluribus locis, quos retuli, aliquid ab hac doctrina alienum inveniri poſſit, & in pluribus aliis, quos ut brevitati conſulam, omitto, eadem ſemper ſub diverſis verbis docuerit: tamen inde praecipuè lectores intelligent quòd dicta Sancti Patris in hac re per hanc ſuae ſententiae explicationem interpretari debent, ſi aliqua fortè

D occurrunt, ubi paulò obſcuriùs locutus ſit. Illud ſcilicet prae oculis ſemper habentes, quod Sanctum Remigium omnes admonere ſupra jam dixi, ut Dominum intelligentiae poſtulemus, in quibus propter obſcuritatem rerum, & ſubtilitatem diſputationum minùs eum (Auguſtinum) intelligere poſſumus. Num autem haec quaeſtio ex obſcuris ſit; numque in hac tractanda ſubtilibus diſputationibus uſus Auguſtinus ſit, non eſt ut dicam.

Quare ſi Sanctus Pater ante presbyteratum, & in presbyteratu ea ſcripſit, quae cum fide catholica conveniunt in eo quod reſpicit fidelium defunctorum beatitatem in con-
E templatione veritatis ſtatim a morte conſequendam, ſi eâ digni ſunt; deſinat Tournely errorem Millenariorum Auguſtino inurere in presbyteratu, non enim probat, ſed nec probare poteſt Sermonem CCLIX. ab Auguſtino presbytero vel dictum, vel ſcriptum: Rurſus ſi Sanctus Pater jam Epiſcopus eamdem fidem catholicam in hoc articulo conſtantiſſimè praedicavit in omnibus operibus ſuis; deſinant pariter ampliſſimi Maurini Sermonem CCLIX. pro Auguſtiniano recognoſcere; nutat enim eorum de hoc ſententia ex eodem collationis doctrinae principio, quo veluti ad manus ſe duci voluiſſe teſtati ſunt in iis vel tribuendis
F vel abripiendis Sancto Patri, quorum ipſe retractationem nobis non reliquit. Si enim doctrina ſermonis mala & inſidioſa eſt, hanc praeter hunc ſermonem non reperìmus: ſi autem taliter interpretari poſſet, ut mala non eſſet, jam non ex hoc ſolo ſermone Auguſtinus catholicus cum millenariis ſenſit; & ita vel iſtum ſermonem reſpuendo, vel ipſum ſano modo explicando, & cum conſtanti Auguſtini doctrina conciliando, jam ejuſdem Auguſtini cauſſam non inutilem neque ingloriam feliciter agimus.

Haec grata tum ipſi Tournely, tum ampliſſimis Monachis Congregationis Sancti Mauri futura opinor; quibus,

&

& nobis illa verba imposterum objicientium fortiùs audacia frangatur, & Ecclesiae Dei intactam restituimus & ab A omni labe puram Divi Augustini in re maximi momenti, doctrinam. Concordi itaque voto Sermonem CCLIX. Augustini nomine spoliantes, apud eos contrarium probandi inutilis & invidiosus labor sit, quibus ut Sancti Patris esse credatur haud purum insedèret deinceps desiderium.



D

CAPUT DECIMUMQUARTUM.

Proferuntur omnia, quae Tournely contra Augustinum afferri dicit; & quomodo ex sententia & concessione Doctoris Sorbonici remaneat, Sanctum Patrem cum deterioribus millenariis sensisse.

OPtassem profectò ut huic meo fortasse non spernendo labori hîc finis imponeretur, nec Augustini ulteriorem defensionem suscipere opus haberem. Sed cùm alia capita inventa sint, ex quibus millenarii regni culpam Augustino infligere aliqui cogitarunt, quae Tournely enumerat; haec etiam examinare necessarium est. Igitur quae dicta sunt satis respondent Maurinis, qui non aliunde Augustini censuram firmant, quàm ex Sermone CCLIX.; respondent item eidem censurae a Tournely confirmatae, & ni fallor, Sanctum Patrem immeritò expostulatum demonstrant, atque impòsterum cuicumque prudenti eadem repetendi adimunt facultatem. Nunc ergo cum solo Doctore Sorbonico res erit; qui in iis recensendis quae Augustino ex suis genuinis operibus objiciuntur, ut eum Millenariorum opinioni adhaesisse monstretur, non eâdem facilitate Augustinum deserit, qua eum deseruit ubi de verbis Sermonis CCLIX. agebatur; sed vel explicatione vel interpretatione utendo, textus oppositos, quantum in se est catholicae fidei consonantes nititur ostendere. Verùm sicuti antecedens concessio oppositorum augebat audaciam: ita ejus praeconceptae opiniones suum in respondendo aliquatenus robur imminuerunt. Ea igitur, quae ipse scripsit, dum sententias Patrum in hac re purgandas suscipit, per praecisa ante notemus.

E

F

„ Jam paulò superiùs observatum a nobis fuit, Sanctum
„ Augustinum antequam Episcopus consecraretur (an. sci-

„ licet

„ licet 400.) in ſententiam Millenariorum aliquatenus in- A
„ clinaſſe, ſicut fatetur ipſemet l. 20. de Civit. Dei c. 7.,
„ quam poſtea, re meliùs ac maturiùs expenſa, depoſuit,
„ ſicut manifeſtè declarant quae ex ipſo ſuperiùs teſtimonia
„ laudavimus. Nonnulla tamen apud illum extant, quae
„ aliqua indigent expoſitione.

„ 1. Serm. CCLIX. n. 2. *Octavus ergo iſte dies*, inquit,
„ *in fine ſaeculi novam vitam ſignificat: ſeptimus requiem futuram*
„ *Sanctorum in hac terra. Regnabit enim Dominus in terra*
„ *cum Sanctis ſuis ſicut dicunt Scripturae, & habebit hic Ec-*
„ *cleſiam, quò nullus malus ingreditur, ſeparatam atque pur-*
„ *gatam ab omni contagione nequitiae .....* Et poſt: *Sextus* B
„ *autem dies iſte cùm tranſierit, veniet requies poſt illam ventilatio-*
„ *nem, & ſabbathizabunt ſancti & juſti Dei. Poſt ſeptimum autem*
„ *cùm apparuerit in area dignitas meſſis, ſulgor, meritumque San-*
„ *ctorum, ibimus in illam vitam & in illam requiem, de qua*
„ *dictum eſt Oculus non vidit &c.*

„ 2. Apertè pronunciat Sanctus Doctor, animas San-
„ ctorum uſque ad ultimum Judicii diem, non in Coelo,
„ ubi Deus videtur, ſed quibuſdam in receptaculis, ubi
„ pace & requie fruantur collocandas eſſe.

„ In Pſalm. 36. Serm. 1. n. 10. *Poſt vitam iſtam parvam,*
„ inquit, *nondum eris ubi erunt Sancti, quibus dicetur Venite* C
„ *benedicti Patris mei.... Nondum ibi eris, quis neſcit? ſed jam*
„ *poteris ibi eſſe, ubi illum quondam ulceroſum pauperem dives ille*
„ *ſuperbus.... in tormentis vidit a longè requieſcentem. In illa*
„ *requie poſitus, certè ſecurus expectas Judicii diem, quando*
„ *recipias & corpus, quando immutèris, & Angelo aequeris.*

„ In Enchiridio ad Laurentium c. 109. *Tempus*, inquit,
„ *quod inter hominis mortem, & ultimam reſurrectionem interpo-*
„ *ſitum eſt, animas abditis receptaculis continet, ſicut unaqueque*
„ *digna eſt vel requie vel aerumna, pro eo quod ſortita eſt in*
„ *carne dum viveret.*

D ,, Lib. 1. de Civit. Dei c. 13. *Cùm desunt ea*, inquit, *quae* „ *curandis funeribus condendisque corporibus defunctorum adhiberi* „ *solent, non efficiunt miseros in occultis piorum sedibus jam* „ *quietos*.

„ Lib. denique 12. de Civit. Dei cap. 9. *Pars*, inquit, „ *quae conjungenda immortalibus Angelis ex mortalibus hominibus* „ *congregatur, & nunc mortaliter peregrinatur in terris, vel in* „ *eis, qui morte obierunt, secretis animarum receptaculis sedibus-* „ *que requiescit*.

„ 3. Non tantum docet Sanctus Augustinus animas pio- „ rum usque ad diem ultimi Judicii in aliquibus secretis E „ receptaculis detineri, sed etiam Dei conspectu privari, „ donec per resurrectionem in Angelos transformemur.

„ Epist. 148. ad Fortunatianum, adducto quodam San- „ cti Hieronymi testimonio asserentis. *Nos esse visuros* „ *Deum facie ad faciem, quando de hominibus in Angelos pro-* „ *fecerimus*, sic loquitur. *In his verbis hominis Dei multa con-* „ *sideranda sunt. Primum quia secundùm apertissimam Domini* „ *etiam sententiam ipse sentit, tunc nos visuros faciem Dei cùm* „ *in Angelos profecerimus, idest aequales Angelis facti fuerimus,* „ *quod erit utique in resurrectione mortuorum*.

„ Et in Psalm. 43. ad ista verba v. 5. *Qui mandas* F „ *salutes Jacob. Illa*, inquit, *visio facie ad faciem liberatis in* „ *resurrectione servatur*.

„ Tractatu 49. in Johan. *Promissa est*, inquit, *resurrectio car-* „ *nis.... vita aeterna cum Angelis. Hoc omnes simul accepturi sumus*.

„ Denique l. 1. Retract. c. 14. n 2. *Quinam sint*, in- „ quit, *illi beatissimi, qui jam sunt in possessione quò ducit haec* „ *via, magna quaestio est. Et Angeli quidem sancti quòd ibi sint,* „ *nulla quaestio est. Sed de Sanctis hominibus jam defunctis,* „ *utrùm ipsi saltem dicendi sint jam in illa possessione consistere,* „ *meritò quaeritur. Jam enim corpore quidem corruptibili, quo ani-* „ *ma aggravatur, exuti sunt, sed adhuc expectant etiam ipsi*

„ *redem-*

„ *redemptionem corporis sui, & caro eorum requiescit in spe,* A
„ *nondum in futura incorruptione clarescit. Sed utrum ad contem*
„ *plandam cordis oculis veritatem, sicut dictum est facie ad faciem*
„ *nihil ex hoc minus habeant, non hic locus est disputando in-*
„ *quirere.* Ergo vel in ipso vitae suae fine, cùm nempe
„ suos retractationum libros scripsit, anno scilicet 426.
„ & 427. (obiit autem Sanctus Doctor anno 430.) ad-
„ huc dubius & anceps erat Sanctus Augustinus utrum
„ Sanctorum animae, statim a morte Deum clarè &
„ apertè intuerentur, seu facie ad faciem.

„ Respondeo ad primum. Re ipsa Sanctum Augusti-
„ num in ea sententia fuisse aliquando, Sanctos per mil- B
„ le annos cum Christo in terris regnaturos; verùm ab
„ ea sententia, ut dictum est, subindè recessit.

„ Ad secundum. Fixa & constans non videtur fuisse
„ Sancti Augustini sententia circa sedes, seu domicilia
„ aut receptacula, in quae animae Sanctorum post mor-
„ tem reciperentur.

„ Aliquandò enim illa distinguit a Coelo: ita ferunt
„ quae hîc opponuntur loca.

„ Aliquandò illa confundit cum Coelo: ita lib. 2. qu.
„ Evangeliorum, q. 38. n. 1. *Sinus Abrahae*, inquit, *re-*
„ *quies est beatorum pauperum, quorum est regnum Coelorum, in* C
„ *quo post hanc vitam recipiuntur,* Ibidem n. 5. *Sinus Abrahae*
„ *intelligitur secretum Patris, quò post passionem resurgens assum-*
„ *ptus est Dominus.*

„ Aliquando rem illam in incerto relinquit: lib. 9.
„ Confessionum c. 3. *Quidquid illud est, quod illo significa-*
„ *tur sinu* (nempe Abrahae) Et lib. 12. de Gen. ad lit.
„ c. 34. *Si tamen* ait, *non aliquid unum est diversis nominibus*
„ *appellatum.*

„ Verùm duo haec rata & fixa fuere apud Sanctum
„ Doctorem.

„ Primum Sanctos apud Inferos jam non esse, quem-
D „ admodum ad Christum usque fuere veteres: *Donec*, in-
„ quit l. 20. de Civit. Dei c. 14. *eos inde sanguis Christi, &*
„ *ad ea loca descensus erueret, profectò deinceps, effuso illo pretio,*
„ *jam redempti, prorsùs inferos nesciunt.*

„ Secundum: Quocumque in loco esse animas Sancto-
„ rum post mortem statuat Augustinus, eas divino con-
„ spectu frui, ac felicitate potiri constanter post Episco-
„ patum affirmavit.

„ Ad tertium: Mens Sancti Doctoris est, animas San-
„ ctorum videre quidem Deum, sed non ita perfectè ac
E „ videbunt post resurrectionem: propterea quòd naturale
„ desiderium recipiendi corpus non sinat animas toto im-
„ petu ac conatu ferri in Deum: atque hoc est discrimen
„ inter Angelos & homines, quòd Angeli cùm nihil am-
„ plius expectent, toti feruntur in Deum: animae verò
„ Sanctorum quodammodo retardantur desiderio resumen-
„ di corpus, ne pleno ac perfecto modo in Deum feran-
„ tur. *Quia*, inquit S. Doctor lib. 12. de Gen. ad lit. cap.
„ 35. *inest ei* (animae) *naturalis quidam appetitus corpus ad-*
„ *ministrandi*: *quo appetitu retardatur quodammodo ne tota in-*
„ *tentione pergat in illud summum Coelum, quamdiu non subest*
F „ *corpus, cujus administratione appetitus ille conquiescat.* Itaque
„ non dicit Sanctus Augustinus animam a corpore separa-
„ tam non posse videre incommutabilem substantiam: sed
„ non posse videre eo modo, idest tam perfectè ac ipsi
„ Angeli vident, propter caussam jam dictam.

„ Idem planè reponendum est & ad locum ex lib. Re-
„ tract. 1. c. 14., & ad Epist. 148. Manifestum enim
„ est his in locis Sanctum Doctorem loqui de visione Dei
„ perfecta & consummata, qualis futura est post resurre-
„ ctionem corporum: non autem de visione seu beatitu-
„ dine inadaequata qua donantur animae Sanctorum statim
„ ab ipsa morte....

„ Ad

„ Ad locum ex Psalmo 43., ait quidem Sanctus Doctor, A
„ liberatis in resurrectione servari claram Dei visionem;
„ sed non negat interim illam concedi Sanctis, quibus ni-
„ hil luendum superest: unum quippe ab alio non exclu-
„ ditur.

Jam quantum satis est maculam ex Serm. CCLIX. desumptam nimis properè a Tournely confirmatam probavimus, cujus sermonis verba denuò transcribere omisissem, nisi ex omnium contextu legentium oculis supposito illud denuò ostendere mihi incubuisset, quod supra jam dixi, ex hoc nimirum loco non argui solùm a Tournely Augustinum, quòd mille annorum regnum in terra futurum docuisset, sed insuper quòd ante illud omnem beatitudinem B sanctis denegasset. Reverà ad objectiones secundo loco positas respondens, dicit, Augustinum post Episcopatum constanter affirmasse Sanctorum animas quocumque in loco sint post mortem corporis, divino conspectu frui; confirmans scilicet hanc sanam sententiam Augustino ante Episcopatum non insedisse; ne vel ejus distinctioni Augustinum inter presbyterum & Episcopum aliquid depereat; neve Sermonis CCLIX. auctoritas infirmetur, quem in presbyteratu scriptum vult, atque hanc etiam erroneam doctrinam continere fatetur. C

Quare quamvis dicat Augustinum millenariis aliquatenus inclinasse; revera tamen illum in deteriorum millenariorum sectam detrudit. Nam si sermo controversus beatitatem animabus denegat usque ad judicii diem, justos etiam cum impiis collocat usque tunc, ut perpendimus supra; & sic non solùm beatitatem justis, sed infernum etiam peccatoribus denegat usque ad resurrectionem carnis; statum interim saltem inactionis somnians ut nuper Burnetus Britannus, qui proindè solus cum suis hujusmodi concessione laetabitur.

Sed

Sed fortaſſe ceteris reſpondendo, Sanctum Patrem tali-
D ter purgatum a Doctore Sorbonico quiſquam putabit, ut quod ante presbyteratum erraverit, infirmitatis appareat; quae autem Epiſcopus docuerit, fidem ſuam catholicae conſonam in hoc expreſsè demonſtrent. Utinam. Immò quia haereticorum audaciam inde contundi non video, hinc reliqua etiam perpendere decrevi. Ultra enim quòd, ut dictum eſt, ſuam diſtinctionem non ſuſtinet Tournely, Sermonem CCLIX. ad tempus presbyteratus pertinere probando, ſicuti opus erat, ideoque integrum adhuc haereticis ſit negare Auguſtinum Epiſcopum conſtanter contra hujuſmodi commenta pugnaſſe, quod tamen ſaepius repetit
E Doctor Sorbonicus: oppoſitoribus ceterorum textuum taliter reſpondet, ut ſi haeretici habeantur, convicti non diſcedant, ſi verò catholici, eſurientes potiùs quàm ſaturi dimittantur, ut videbimus infra.

Haereticos porro homines his objectionibus delectari palam eſt ex cap. 17. libri de Paradiſo Regnique Coeleſtis gloria, non expectatâ corporum reſurrectione, quem clariſſimus Ludovicus Antonius Muratorius anno 1738. erroribus Thomae Burneti Britanni oppoſuit, ut impia millenariorum ſemperque damnata ſententia per iſtius haeterodoxi ſcripta denuò excitata, non ſine congruo oppugnatore
F ageretur in vulgus. Ibi locos omnes (uno excepto Sermone CCLIX.) a Burneto (ut ſatis infelici cauſſae ſuae reverendo Auguſtini nomine opituletur) ſummatim uſurpari commemorat vir doctiſſimus, quos Tournely per verba praeciſa hîc refert. Hinc intelligimus non cum catholicis ad animi exercitationem ea loca proferentibus, nobis rem eſſe; ſed cum ſubdolis haereticis, quibus non omnis reſponſio ſatis ſit; qui immo ubi reſponſionibus noſtris difficultas objectionis non conficiatur, ex eâdem noſtrae infirmitate argumentationis in ſuis erroneis opinionibus convaleſcunt.

Hinc

Hinc saepè Burnetum commemoravi in antecedentibus, ut lectores noscerent recentem hunc antiquissimorum Dogmatum hostem penè adhuc extare cum quo pugnemus. Et quamvis vir diligentissimus & scriptorum veterum Patrum peritissimus hujus etiam veritatis inimici audaciam omninò confregerit; inutile fortasse non erit quae Augustinum respiciunt propriùs attingere, & validioribus, ut spero, rationibus vindicare.



CAPUT

D

CAPUT DECIMUMQUINTUM.

Examinantur quae Tournely sibi opponit secundo loco, & quomodo suis responsionibus difficultatem non solvat, immò Sancto Patri notam Millenarii relinquat; nisi cum eodem dicat beatitatem Sanctis etiam ante Christum passum fuisse conlatam.

INtentionem adversariorum in quatuor illis textibus Augustino opponendis, esse, ut demonstrent Sanctum Patrem visionem Dei Sanctis denegasse usque ad Judicii diem, E quia illos non in Coelo, ubi Deus videtur, sed quibusdam in receptaculis, ubi pace & requie fruerentur collocat; expressè declarat Tournely. Respondet autem Fixam & constantem non videri fuisse Sancti Augustini sententiam circa sedes, seu domicilia aut receptacula, in quae animae Sanctorum post mortem reciperentur. Aliquando enim illa distinguit a Coelo, uti ferunt loca opposita. Aliquando illa confundit cum Coelo, & locum Augustini affert ad hoc probandum. Aliquando rem in incerto relinquit, & duo item loca ejusdem Sancti Patris proponit: Verùm duo haec rata & firma fuisse dicit apud Sanctum Doctorem: F Primum Sanctos apud Inferos jam non esse, quemadmodum ad Christum usque fuere veteres, ad quod probandum locum mutilum affert ex lib. 20. c. 15. de Civit. Dei. Secundum: Quocumque in loco esse animas Sanctorum post mortem statuat Augustinus, eas divino conspectu frui & felicitate potiri, constanter post initum Episcopatum Sanctum Patrem affirmasse.

Cùm autem textus oppositi secundo loco ex libris sint Augustini jam Episcopi, quaeritur num hi constanter doceant Sanctos post mortem vidisse Deum. Ex istis enim contrarium probare contenditur, quia non in Coelo, ubi

Deus

Deus videtur, ſed in quibuſdam receptaculis ubi pace & requie fruerentur, eos collocaret. Quia autem receptacula illa & ſedes diſtingui a Coelo in oppoſitis textibus, docet Tournely, hoc ipſo adverſariis jam conſentit, niſi illud probet, quòd etiam extra Coelum ex ejuſdem ſententia Sancti Deum viderent; ita ut requies illa & pax, quas in ſingulis repetit Auguſtinus, quaſque adverſarii non invident in verborum cortice, a viſione Dei originem & fundamentum haberent; quod illi quaſi de mente Auguſtini non ſentiunt, vel ſaltem Auguſtinum non ſenſiſſe praetendunt. Uſque dum igitur a Doctore Sorbonico non oſtendatur in quatuor illis oppoſitis locis viſionem Dei Sanctis non denegari in iis ſedibus & receptaculis, & adverſarii in ſua audacia manebunt, & ſecundum illud quaſi corollarium corruet quo dixit, Divum Auguſtinum conſtanter poſt epiſcopatum viſionem Dei & felicitatem Sanctis contuliſſe. Contrarium enim ex oppoſitis jam epiſcopalibus libris reſultaret, & ita Sanctus Pater inter verè millenarios collocaretur, quod Tournely placere non poteſt, & Eccleſiae Dei & mihi diſplicet valdè. A B

Quid enim inter Auguſtinum diſtat & Lutherum & Calvinum? Ambo requiem & pacem animabus ſanctis corpore expertibus promittunt uſque ad judicii diem, ex praenotatis a Tournely, quae cap. I. retulimus. Sed hanc promiſſionem, quam haeretici faciunt, damnat Eccleſia, non tamen illam ab Auguſtino toties repetitam. Quare hoc? niſi quia in ſimilibus verbis, omninò diſſimilem ſententiam contineri dignoſcit. Quomodo verò diſſimilem? niſi quia huic paci, & requiei privationem viſionis Dei apertè copulant haeretici uſque ad judicii diem; Auguſtinus e contra viſionem Dei hujuſce pacis & requiei fundamentum eſſe fideliſſimè ſentit. Quomodo autem id Auguſtinus ſentiat ſi quaeramus a Tournely etiam in loco Pſal- C

D mi 36. qui opponitur, quid nobis responsurus sit, nondum
video. Vidi equidem quod respondit; sed aeque vidi, &
superiùs notavi, responsionem illam adversariorum placitum
confirmare, usque dum non doceatur visionem Dei
Sanctis concessam per Sanctum Patrem, etiamsi in Coelis
non sint; quae quidem probatio desideratur in scriptis
Doctoris Sorbonici.

Defensurus igitur ego Augustinum in loco opposito Psalmi
36., dicerem; quòd eo ipso quòd Sanctos post hanc
temporalem vitam ibi reponit, *ubi illum ulcerosum pauperem
dives ille superbus..... in tormentis vidit a longe requiescentem*,
E ubi & ipse Lazarus securus expectat judicii diem: jam
sentit in eadem securitate ibidem eum diem expectaturos
ceteros, qui ad illum congregabuntur; & etiam istos
in conspectu Domini esse, eaque beatitate frui, quae
in contemplatione veritatis & fruitione sapientiae consistit,
quia hanc felicitatem jam assecutum Lazarum
ipse credebat. Lazarum enim in conspectu Domini constitutum,
ideoque ejus adspectu laetantem credidisse Augustinum
patet l. 1. c. 12. de Civit. Dei, ubi haec habet.
„ Praeclaras exequias in conspectu hominum exhibuit purpurato
„ illi diviti turba famulorum: sed multò clariores
F „ in conspectu Domini ulceroso illi pauperi ministerium
„ praebuit Angelorum, qui eum non extulerunt in marmoreum
„ tumulum, sed in Abrahae gremium sustulerunt.
Quare dum credamus Lazarum visione Dei gaudere: & hi
gaudebunt qui secum erunt ubicumq; ille sit: & quaestio de
loco, & sic de nomine dirimenda consurgit. Nam cetera quae
in eum textum Psalmi addit Augustinus perfectam totius hominis
beatitatem respiciunt, quae verè non antea perficietur,
quàm coelestis Judex illud pronunciet *Venite benedicti* quo
tamen inadaequata beatitas non retardatur, ut probè sustinet
etiam Doctor Sorbonicus.

Sed

Sed iste, primum illud suum quasi corollarium retinens, A
quo supponit Divum Augustinum docuisse Sanctos apud inferos jam non esse, quemadmodum ad Christum usque fuere veteres, ibique Deum non vidisse; retinens item quod Lazarus ex illis veteribus sit: nisus meos in defendendo Sancto Patre non solùm respuit, sed etiam culpat.

At vel respuat, vel culpet; negari tamen non potest in verbis oppositis, non alium, sed absque ulla ambage eumdem locum per Augustinum Sanctis etiam novi testamenti promitti, ubi ulcerosus ille a divite damnato visus est; nec aliam, sed eamdem requiem pacem & securitatem polliceri, quibus Lazarus in sinu Abrahae ex Evangelio B
consolabatur, donec tùm iste tum illi recipiant & corpus. Quare si mea responsio, ex aliis etiam libris ejusdem Sancti Doctoris petita, respuenda nunc videretur; nulla amplius interpretatione succurrente, remanet Sanctum Patrem eo loci cum requie & quiete & securitate convenire a Luthero atque Calvino Sanctis promissa, scilicet absque visione Dei; & sic damnabilem millenariorum errorem etiam Episcopum docere contra intentionem Doctoris Sorbonici. Eodem item modo judicandum erit de tribus subsequenter oppositis locis, in quibus cùm secretas sedes & occulta receptacula sanctorum commemoret, (quae porrò C
per Sanctum Patrem idem sunt cum sinu Abrahae); adeò beatitatem Sanctis negavit in istis receptaculis, quàm illam ex sententia Doctoris Sorbonici denegavit sinui Abrahae; atque ita denuò confirmatur a stabilita & firma & constanti Ecclesiae catholicae in hac re doctrinâ Augustinum defecisse etiam Episcopum.

Quomodo hanc nimis ingratam consequentiam non praeviderit homo acutissimus; quomodo item ad illam effugiendam non iis armis usus sit, quae jam habebat in promptu; quomodo demum multiplici operum Sancti Patris

lectio-

D lectione ab hujusmodi insidiis se defendere non studuerit Tournely, quis divinare par sit? Locum profectò jam viderat libri 2. quaest. Evangel. (quaest. 38. n. 1.), in quo Augustinus sinum Abrahae idem esse definit ac regnum Coelorum, & secretum Patris, quò post passionem resurgens assumptus est Dominus: qui tantò majoris ponderis est, quia hic liber praecedit tempore Enchiridion ad Laurentium, & libros de Civit. Dei, ex quibus duo ex oppositis locis afferuntur; alter enim ad annum 400., alteri ad 420. & 426. spectant; quorum posteriorum sententiae subobscurae congruè & commodè per praecedentes magis per-
E spicuas & claras explicandae videntur. Unde suppeditabatur responsum contra adversantes satis congruum & firmum; Augustinum scilicet receptacula illa occulta & secretas sedes Sanctorum usque ad diem judicii pro sinu Abrahae ibi nominasse: huic autem sinui cùm beatitatem ex Dei visione manantem conferat, illum a Coelo & secreto Patris non distinguendo, ut ferunt duo proximè laudata loca in libro quaestionum Evangeliorum; eamdem item agnoscit in receptaculis & sedibus secretis justorum, quas in posterioribus libris commemorat.

Et quamvis verum sit, aliquibus aliis in locis incer-
F tum Augustinum videri de loco, ubi sinus ille esset habendus, numquam tamen dubitavit de aeterna illa, beataque vita, qua illic fruebantur Abrahae filii, veri scilicet fideles. Hoc autem indicari per illud lib. 9. Confess. c. 3. ubi de Nebridio amico suo loquens, illumque in sinu Abrahae receptum credens, ait *Quid quid illud est, quod illo significatur sinu*, quo quidem aliqualis haesitatio praesefertur a Doctore Sorbonico notata; subdit tamen illico (quod Tournely praeterivit) unde illius beatitas aeterna cognoscatur „ Ibi Nebridius meus vivit, dulcis amicus meus, „ tuus autem Domine adoptivus ex liberto filius, ibi vi-

„ vit.

„ vit. Nam quis alius tali animae locus? Ibi vivit, unde „ me multa interrogabat homuncionem inexpertum. Jam „ non ponit aurem ad os meum, sed spiritale os ad fon- „ tem tuum, & bibit quantum potest sapientiam pro avi- „ ditate suâ sine fine felix. Nec sic eum arbitror ine- „ briari ex ea, ut oblivis̃catur mei, cùm tu Domine, „ quem potat ille nostri sis memor.„ A

Praeterea audiendus in hoc Augustinus in Serm. 2. n. 7. in enarratione ejusdem Psalmi 36., cujus verba opponuntur, ubi de eodem Lazaro loquens dixit „ Quomodo „ putatis detestatos homines transeuntes ulcerosum paupe- „ rem jacentem ante divitis januam? Quomodo fortè hunc „ occlusis naribus conspuebant? Noverat autem Dominus „ illi servare paradisum.„ Ne autem haec paradisi Lazari meritis atque patientiae praeparata inhabitatio ad diem judicii respicere quisquam opinaretur; hanc ipsi tam citò redditam ostendi ex Sancto Patre, quàm citò divitem debita supplicia susceperunt; subdit enim „ Quomodo autem „ sibi optabant vitam illius, qui induebatur purpura & „ bysso, & epulabatur quotidiè splendidè? Dominus au- „ tem, qui prospiciebat dies illius, noverat ejus futura tor- „ menta, & sine fine tormenta. Ergo *Novit Dominus viam* „ *immaculatorum*.„ Ibidem enim n. 4. sectatores & imitatores Christi ad tolerantiam temporalium passionum exhortans, ut in illa Lazari sede morientes suscipi mereantur, „ ait „ Ad tempus laboras, in aeternum non laborabis: „ brevis est molestia tua, aeterna erit beatitudo tua: ad „ modicum doles, sine fine gaudebis.„ Et post pauca „ „ Quidquid acciderit justo, voluntati divinae deputet, non „ potestati inimici. Saevire ille potest: ferire, si ille nolu- „ erit, non potest. Et si ille voluerit ut feriat, novit suum „ quemadmodum excipiat. Quem enim diligit Dominus „ corripit: flagellat autem omnem filium, quem recipit.... B C

D „ Nec adtendere debemus quantum permittat injustis, sed
„ quantum servet justis. „ Quid autem justis servet exponitur infra n. 14. ad versum *Quoniam benedicentes eum haereditate possidebunt terram*. „ Erunt ejus cohaeredes in terra illa
„ viventium, de qua dicitur in alio Psalmo *Spes mea es tu*,
„ *portio mea in terra viventium*. Tu es ipsa portio mea, in-
„ quit Deo, & non dubitavit Deum sibi facere portio-
„ nem.

Et ne videretur Tournely illum sermonem effugere, unde illi pauca objiciebantur, ad eumdem appellare convenientissimum atque expediens erat. Hic enim ostendens n.
E 9. quae sint petitiones cordis justorum, quarum meminit Propheta, eas esse definit, quibus ipsi Deum amantes Deum desiderant, atque illum, quem fide jam tenent revelatè videre suspirant. Hanc autem illorum orationem tunc exaudiendam demonstrat n. 8., cùm finito die mercedem promissam & petere poterunt & consequi, quia fidelis est, qui eos adduxit ad vineam; quod ex comparatione finis iniquorum evidentiùs ostendit. „ Prosperatur (peccator) sed in
„ via sua: laboras (justum alloquitur) sed in via Dei. Illi
„ prosperitas in via est, in perventione infelicitas: tibi la-
„ bor in via, in perventione felicitas; quoniam iter im-
F „ piorum peribit. *Novit Dominus vias immaculatorum & iter*
„ *impiorum peribit*. Has vias ambulas, quas novit Dominus,
„ & si laboras in eis, non te fallunt. Via verò impiorum
„ felicitas transitoria: finitâ viâ, perfecta est felicitas.
„ Quare? Quia via illa lata est, finis ejus in profundum
„ inferni perducit. Via verò tua angusta est, & pauci in-
„ grediuntur per eam: sed ad quam latitudinem perveniant
„ debes cogitare... : Quoniam qui malignè agunt, exter-
„ minabuntur. Sustinentes autem Dominum, ipsi haere-
„ ditate possidebunt terram. Quam terram, nisi illam Jeru-
„ salem, cujus amore qui exardescit, perveniet ad pacem. „

Citò

Citò autem hujusmodi praemium justis conlatum iri docet n. 10 ajens „ Ne sustinendam istam longissimam putes; a
„ modicùm sustine, sine fine accipies quod sustines....
„ Unius autem cujusque hominis vita quanta est? Adde
„ quantoslibet annos, duc longissimam senectutem, quid
„ est? Nonne aura est matutina? Ergo longè sit dies judi-
„ cii, quando erit retributio injustorum & justorum: tuus
„ certè dies ultimus longè abesse non potest. Ad hunc te
„ praepara. Qualis enim exieris de hac vita, talis redderis
„ illi vitae.

Quod evidentiùs explicat Sanctus Vir sermone sequenti n. 16 „ Nam utique, Fratres, inquit, pro aeterna requie b
„ labor aeternus subeundus erat: & aeternam felicitatem
„ accepturus, aeternas passiones sustinere deberes: sed si
„ aeternum sustineres laborem, quando venires ad aeternam
„ felicitatem? Ita fit, ut necessariò temporalis sit tribula-
„ tio tua, qua finitâ venias ad felicitatem infinitam. Sed
„ tamen, Fratres, posset esse longa tribulatio pro aeterna
„ felicitate. Verbi gratia, ut quoniam felicitas nostra fi-
„ nem non habebit, miseria nostra, & labor noster &
„ tribulationes nostrae diuturnae essent. Nam & si mille
„ annorum essent, appende mille annos contra aeternita-
„ tem: quid appendis cum infinito quantumcumque fini- c
„ tum?.... Huc accedit quia non solum temporalem vo-
„ luit laborem tuum Deus, sed etiam brevem. Paucorum
„ dierum est tota vita hominis, etiamsi laeta duris non
„ miscerentur, quae plura & longiora sunt certè quàm
„ dura; & ideò breviora & pauciora sunt dura, ut dura-
„ re possimus: si ergo per totam vitam suam homo in la-
„ boribus & in aerumnis esset, in doloribus, in tormentis,
„ in carcere, in plagis, in fame & siti omnibus diebus,
„ horis omnibus, per totam vitam suam usque ad aetatem
„ senectutis, pauci dies sunt tota vita hominis: quo labore

D „ tranſacto, veniet regnum aeternum, veniet ſine fine
„ felicitas, veniet aequalitas Angelorum, veniet haere-
„ ditas Chriſti, veniet cohaeres Chriſtus.

Quid autem in hoc non retardato, ſed ad finem diei, ideſt vitae cujuſque rectè in vinea laborantis conceſſo regno aeterno & ſine fine felicitate, inventuri ſint ſancti, explicaverat ſupra ſermone antecedenti n. 12. ad verba Pſalmi *Manſueti autem haereditate poſſidebunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis.* „ Terra eſt illa de qua ſaepè locuti ſumus
„ Jeruſalem ſancta, quae liberabitur de peregrinatione iſta,
„ & in aeternum vivet cum Deo & de Deo. Ergo *haere-*
E „ *ditate poſſidebunt terram*. Quae erunt delitiae ipſorum? *Et*
„ *delectabuntur in multitudine pacis*. Aurum tuum pax, argen-
„ tum tuum pax, praedia tua pax, vita tua pax, Deus tuus
„ pax. Quidquid deſideras pax tibi erit. Quia hìc aurum
„ quod eſt, non poteſt tibi eſſe argentum; quod vinum eſt
„ non poteſt eſſe panis; quod tibi lux eſt, non poteſt eſſe
„ potus: Deus tuus totum tibi erit. Manducabis eum ne
„ eſurias; bibes eum ne ſitias; illuminaberis ab eo ne ſis
„ caecus; fulcieris ab eo ne deficias; poſſidebit te totum
„ integrum totus integer. Anguſtias non ibi patieris cum
„ eo, cum quo totum poſſides: totum habebis, totum &
F „ ille habebit; quia tu & ille unum eritis, quod unum totum
„ & ille habebit, qui vos poſſidet. *Hae ſunt reliquiae homini*
„ *pacifico.... Cuſtodi ergo innocentiam, vide directionem*: & noli
„ putare quia finitâ iſtâ vitâ, finitus eſt homo, *quia ſunt*
„ *reliquiae homini pacifico*.

Quare cum tanta perſpicuitate mercedem Sanctis promittat Auguſtinus ſtatim a morte corporis, qua omnis temporalis labor concluditur homini fideli, eamdem eodemque modo obtinuiſſe Lazarum illum ulceroſum patet ex mente Sancti Patris; ideoque eâdem fruentur ceteri qui ad eum congregabuntur, quos ubi ille eſt, & in eâdem requie a

tor-

tormentis divitis longè posita, collocat; atque ita non solum nullius roboris adversariorum evadit objectio; sed immo inde convincuntur, unde nobis & Augustino bellum indixerant.

Datâ operâ praetereo quae de aequalitate cum Angelis dicit Sanctus Pater, quia inferiùs de hoc agere oportet. Ceteris autem, quae ex verbis receptaculorum & sedium occultarum, & de pace & requie objiciuntur, satis responsum esse opinor: quaeque si Tournely adversantibus reposuisset, tam incomodis consequentiis & nimis intentioni suae contrariis obviam ivisset; nec Sanctum Patrem re deseruisset, cùm verbis illum defendere promittit. Sed num Tournely haec dicenda non vidit? Vix credo. Cur autem non dixit? Hoc divinare facilius est, & sequenti capite patebit.



D

CAPUT DECIMUMSEXTUM.

Cur Tournely locis oppositis secundo loco non cum doctrina Sancti Patris responderit: & quomodo responsio a clara & repetita Augustini doctrina dessumpta haereticos confudisset, & Sanctum Patrem ab inflicta millenarii regni notá purgasset.

QUare Tournely non ea reposuerit, quae ego reponenda censui opponentium intentioni in loco Psalmi 36. & tribus sequentibus dum perscrutor; illud occurrit, quod ipse ex sua responsione se putasse demonstrat,
E Sanctum scilicet Patrem veluti ratum & firmum habuisse, Sanctos apud inferos jam non esse, quemadmodum ad Christum usque fuere veteres, haec adducens ex lib. 20. c. 15. de Civit. Dei, qui librariorum errore ex capite 14. inscribitur, *Donec eos inde sanguis Christi, & ad ea loca descensus erueret, profectò deinceps boni fideles, effuso illo pretio, jam redempti, prorsùs inferos nesciunt*. Advertit enim quòd si diligentius examen oppositorum Augustini verborum institueretur, vel necessariò admittendum esset, quòd & animae in sinu Abrahae collectae Deum viderent ante Christi descensum in inferos, vel concedendum quòd neque nunc videant. Illam
F enim requiem sinus Abrahae, ubi illum quondam ulcerosum pauperem dives ille superbus & sterilis in mediis suis tormentis vidit a longè requiescentem, illam inquam requiem & non aliam Christi fidelibus usque ad judicii diem promittit Augustinus. Proinde si pauperem illum requiescentem, Deum non vidisse aliquando docuisset: in loco quietis, sed absque visione Dei justos etiam novi testamenti reposuisset. Sed quia hoc dare, absolutè contra totam doctrinam est Augustini; illud autem concedere opinioni adversabatur Doctoris Sorbonici, qui Dei visionem sinui

Abrahae

Abrahae ante Christi descensum in Inferos veluti de mente Augustini constantissimè negat: verbis parcere opportunius duxit, quàm singula perpendendo, salebras undique incurrere. A

Nec hoc solùm: sed ne Augustinum aliundè, quàm ex sua doctrina explicare videretur, suprascriptum locum de Civit. Dei in suae sententiae subsidium vocat. In quo tamen firmando contradictionem patère haud multa meditatione cognoscere poterat Doctor Sorbonicus; atque item, quòd si locus hujusmodi juxta intentionem suam explicaretur, inde etiam intentioni adversariorum inserviret.

Et quod àttinet ad contradictionem: quomodo stat Augustinum firmiter docuisse, veteres Sanctos ante Christi adventum in inferis fuisse; si jam suprà concesserat Tournely, variam fuisse Sancti Patris sententiam circa sedes animarum post mortem; ita ut ex aliquibus Augustini locis etiam scateat, sinum Abrahae idem esse cum regno coelorum? Num & regnum coelorum in inferis situm opinabatur Sanctus Pater? Quod si non adeò desipuit; quomodo firmiter docuit animas Sanctorum veterum post mortem ad inferos fuisse, quas semper in sinu Abrahae ex Evangelio reposuit? B

At locus de Civitate Dei hoc declarat. Primò respondeo; si hoc verum esset, jam abradendum superius illud effatum; quia tunc cùm Augustinus docebat regnum coelorum idem esse cum Abrahae sinu, ad quem post passionem resurgens assumptus est Dominus, non hunc in inferis esse censebat; proindeque non constanter docuit veteres Sanctos apud inferos fuisse: secundò quod ille textus integer non demonstrat eam Augustino fuisse sententiam, quam Doctor Sorbonicus ut suae faveat, ex mutila citatione verborum Sancto Patri ad opportunitatem affingit. C

Locum ipsum prout jacet videre praestat, ut occasionem

non poteſt in ſaeculi fine, quem illa verba reſpiciunt apertiſſimè. A

Nec tamen id abſolutè aſſerit, quaſi & ipſe concederet bonos apud inferos aliquandò fuiſſe; ſed ſaltem ſub conditione dixit *Si non abſurdè credi videtur*: nihil nimirum de hac quaeſtione retractans ex iis, quae alibi fundiтùs docuerat. Sed ne a propoſito longiùs tunc aberraret, demonſtrare contentus fuit, quòd etiam in hoc ſuppoſito, verbum illud *infernus* in textu, non ad bonos referri poterat (quandoquidem aliàs ibi fuiſſe demonſtrari poſſet abſque abſurdo) quia boni jam ibi amplius non ſunt; dum ipſi oppoſitores ſentirent per Chriſti deſcenſum in inferos, inde erutas Sanctorum animas, & bonos fideles, effuſo illo pretio, inferos omninò neſcire. B

Hinc quàm diverſa Auguſtini intentio ex toto illo textu emergat ab ea, quam praeſeferunt pauca verba a Tournely mutilatè tranſcripta & pro ſe interpretata, jam patet; nec indè porrò juvari poterat Doctor Sorbonicus in illo ſuo veluti axiomate conficiendo, quód rata & fixa Sancti Doctoris ſententia fuerit, Sanctos apud inferos jam non eſſe, quemadmodum ad Chriſtum uſque fuere veteres.

In quo, ut innui adverſariorum intentioni in quatuor oppoſitis textibus faviſſet; ſi quae ſua, eadem Auguſtino intentio in hoc textu de Civit. Dei, fuiſſet. Ipſe enim putans Auguſtinum viſionem Dei Sanctis in ſinu Abrahae denegaſſe uſque ad Chriſti deſcenſum in inferos, nolens quoque concedit quòd hanc viſionem in quatuor oppoſitis locis Auguſtinus deneget etiam Sanctis novi teſtamenti. Non enim in iſtis conſtat ſinum Abrahae ex inferno eductum & in Paradiſum translatum; nec Dei viſionis munere donatum poſt Chriſti deſcenſum in eumdem, qua antea orbabatur; ſed dicitur quòd idem ipſe locus fideles maneat, ubi quondam ulceroſum pauperem dives ille ſuperbus a C

longè

D longè vidit requiescentem. Quare si hic pauper quando eum dives conspexit, in inferis erat & Dei visione non fruebatur; si Augustinus Lazarum adhuc ibi esse, unde a divite conspectus est praeclarissimè docet: sequitur, quòd quicumque ad eum nunc congregantur, ad inferos descendant, & securi quidem cum eo diem judicii expectent; sed tamen usque ad illum Dei beata visione fraudentur.

Quo autem fundamento ab illo loco lib. 20. c. 15. de Civit. Dei firmiter argumentetur Tournely, Divum Augustinum visionem Dei Sanctis in sinu Abrahae collectis denegasse, nondum video. Non solum enim sub conditione E locutus est, ut observavimus suprà; sed insuper sinum Abrahae a tormentis impiorum remotissimum fuisse dixit. Quomodo verò remotissimus ab his fuisset, si justi cum impiis in poena damni, quae Augustino praecipua est, ut notatum est (in Proemio) convenirent? Num spatiorum distantia in hoc aestimanda videtur, quando tormentorum substantia absque disquisitione communicatur?

Verùm ut cognoscamus, intentionem Sancti Patris tunc fuisse, ut etiam ab adversantium placitis pro se argumentaretur, absque praejudicio eorum, quae in hac quaestione aliàs ante docuerat, anno scilicet 417., operae pretium erit F si illum de hoc expressè disputantem audiamus. Interrogatus a Dardano (quem fratrem nuncupat, & cui profunda rimanti, propositarum quaestionum superficialis solutio nequaquam sat esse posset) *Quomodo Mediator Dei & hominum homo Christus Jesus, nunc esse credatur in coelo, cùm pendens in ligno, jamque moriturus latroni credenti dixerit* Hodie mecum eris in Paradiso: quantum ad praesens institutum nostrum attinet, ita respondit. „ Si ergo secundùm hominem, quem „ Verbum Deus suscepit, putamus dictum esse *Hodie mecum eris in Paradiso*, non ex his verbis in coelo existimandus est esse Paradisus. Neque enim ipso die in coelo „ futu-

„ futurus erat homo Christus Jesus; sed in inferno secun- A
„ dùm animam, in sepulcro autem secundùm carnem.
„ Et de carne quidem quòd eo die in sepulcro sit posita,
„ manifestissimum est Evangelium. Quòd verò illa anima
„ in infernum descenderit, apostolica doctrina praedicat.
„ Quandoquidem Beatus Petrus ad hanc rem testimonium
„ de Psalmis adhibet, ubi praedictum esse demonstrat
„ *Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis*
„ *sanctum tuum videre corruptionem*. Illud de anima dictum
„ est, quia non ibi est derelicta, unde tam citò remeavit:
„ illud de corpore, quod in sepulcro corrumpi celeri re-
„ surrectione non potuit. Sed in sepulcro paradisum nul- B
„ lus intelligit. Et si quisquam esset ita absurdus, ut hoc
„ sapere conaretur, eo quòd illud sepulcrum in horto erat;
„ certè hinc ab ista opinione revocaretur, quòd ille cui
„ dictum est *Hodie mecum eris in Paradiso*, non illo die fuit
„ cum Christo in illo sepulcro: nec ejus fidei pro magno
„ munere offerretur sepultura carnis, nihil gaudii vel do-
„ loris in morte sentientis, cùm ille de requie, ubi sensus
„ est cogitaret.

„ 6. Restat igitur, ut si secundùm hominem dictum
„ est *Hodie mecum eris in Paradiso*, in inferno intelligatur
„ esse Paradisus, ubi erat eo die futurus secundùm hu- C
„ manam animam Christus. Utrum autem sinus ille Ab-
„ rahae, ubi dives impius cùm in tormentis esset inferni,
„ requiescentem pauperem vidit, vel paradisi censendus
„ vocabulo, vel ad inferos pertinere existimandus sit, non
„ facilè dixerim. De illo quippe divite legimus dictum
„ *Mortuus est autem & dives, & sepultus est in inferno: &*
„ *cùm apud inferos in tormentis esset*. In pauperis autem
„ morte vel requie non sunt inferi nominati: sed *Contigit*,
„ inquit, *mori inopem illum, & auferri ab angelis in sinum Ab-*
„ *rahae*. Deinde ardenti diviti dicit Abraham *Inter nos &*
„ *vos*.

D „ *vos chaos magnum firmatum est*, tamquam inter inferos sedesque beatorum. Non enim facilè alicubi scripturarum „ inferorum nomen positum invenitur in bono. Unde „ etiam quaeri solet, si nonnisi penalia rectè intelliguntur „ inferna, quomodo animam Domini Christi piè credamus „ fuisse in inferno. Sed benè respondetur, ideo descendisse, ut quibus opportuit subveniret. Unde Beatus Petrus eum dicit *solvisse dolores inferni, in quibus impossibile „ erat teneri eum*. Porrò si utraque regio & dolentium & „ requiescentium, idest ubi dives ille torquebatur, & ubi „ pauper ille laetabatur, in inferno esse credenda est; quis E „ audeat dicere Dominum Jesum ad poenales inferni partes venisse tantummodo, nec fuisse apud eos, qui in Abrahae sinu requiescunt. Ubi si fuit, ipse est intelligendus „ paradisus, quem latronis animae illo die dignatus est polliceri. Quae si ita sunt, generale paradisi nomen est, ubi „ feliciter vivitur....

„ 7. Est autem sensus multò expeditior, & ab his omnibus ambiguitatibus liber, si non secundùm id quod „ homo erat, sed secundùm id quod Deus erat Christus „ dixisse accipiatur *Hodie mecum eris in paradiso*. Homo quippe Christus illo die secundùm carnem in sepulcro, secundùm animam in inferno futurus erat. Deus verò idem F „ ipse Christus ubique semper est. Est enim lux, quae „ lucet etiam in tenebris, quamvis eam tenebrae non comprehendant.... Ubicumque ergo sit paradisus, quisquis „ beatorum ibi est, cum illo ibi est, qui ubique est. (epist. „ 187. aliàs 57. an. 417.)

His addantur, quae superiùs cap. VIII. ex lib. 12. de Genes. ad litt. transcripsi de hac eadem quaestione. Ex quibus, & longè pluribus, quae possem afferre, patet, Divum Augustinum quandoque de loco ubi situs ille sinus Abrahae fuerit vel incertum fuisse, seu veluti incertum esse locutum:

sen-

ſententia tamen ſua taliter inter dubitationes effluit, ut acuti jam noſcant, Sanctum Patrem veluti inferorum partem ſinum illum computare non potuiſſe, verba penſando Evangeliſtae; Cùm autem de ſtatu animarum illarum, quae illuc ab Angelis perducebantur ſermo eſt, illas aeternùm felices & cum Deo & de Deo requieſcentes, ideoque beatas, tam conſtanter ſentit, ut non ſolum veteres, ſed juſtos etiam novi Teſtamenti ibìdem collocet, uti de Nebridio amico ſuo ſuperiùs notavimus, & locus oppoſitus ex Pſalmo 36. & cùm eo ceteri abſque haeſitatione praeſeferunt. A

Quod verò alicubi de viſione Dei Sanctis conlata vel in ſinu Abrahae, vel in juſtorum ſedibus & receptaculis dubitaverit, aut ſinum Abrahae apud inferos ſitum docuerit, B numquam vidi, nec vidiſſe credo Tournely; & auderem dicere quòd in genuinis operibus Sancti Patris numquam invenietur. Inveni quidem, & capite IX jam praenotavi, Fauſtum Manichaeum quaſi ex noſtrorum conſenſu Sanctos Patres antiquos in inferis collocaſſe, ibique eos poenali cuſtodia concluſiſſe, donec inde a deſcendente Chriſto eriperentur, & perducerentur in coelum. Sed aequè inveni Auguſtinum nihil hujuſmodi Fauſto concedentem, nec hinc temeritates opinantium conſectandas quorumlibet hominum exprobrantem; veluti ille qui jam cognoſcebat, quòd ſi ex C praecedentis vitae meritis illi a Deo vocati juſti in poenis illic detinebantur, jam nec juſti erant, quod de Abraham credi impium probat Pauli auctoritate. Ibidem autem & de hoc credentium Patre, & de his, qui ejuſdem fidei & charitatis gratià ad illum congregati dicuntùr in Scripturis Dei, loquens, eos in ſinum Abrahae, ideſt neſcio cujus quietae felicitatis magnum abditumque ſecretum collocatos docet, ad quod abſtulerunt Angeli pauperem illum aerumnoſum a divite ſuperbiente contemptum. Ubi autem haec ſedes fuerit priuſquam Chriſtus in carne veniſſet; & utrum

etiam

D etiam ipſos ad aliquid melius paſſio Chriſti tranſtulerit, in Scripturis ſanctis indagandum eſſe admonet, ſi quo modo ad liquidum indagari poteſt.

Quid ex hac tam praeclara doctrina contra haereticos pronunciata expiſcari poterit Tournely, ut ei faveat opinioni qua dixit, Auguſtinum in eo fixum fuiſſe, quòd nimirum Sancti apud inferos jam non eſſent quemadmodum ad Chriſtum uſque fuere veteres? Quomodo in hujus conſpectu ſinui Abrahae viſionem Dei, veluti de Sancti Patris mente denegabit? Quomodo denique ex his locis non cognoſcet ſub omnimoda conditione tanto poſt pronunciatum
E illud de Civitate Dei *Si non abſurdè credi videtur*, ex quo ipſe totum fundamentum eruit ſuarum concluſionum?

Quid igitur tantae perſpicuitati opponere poteſt Doctor Sorbonicus? Num Auguſtinum in hoc erraſſe, quia aliter ab aliquibus etiam tunc ſentiebatur, ab omnibus verò nunc opinatur? Hoc tamen nec Manichaei, nec ſagaciſſimi Pelagiani, contra quos praeclariſſimè haec docet & ſaepius inculcat, Auguſtino objecerunt: nec ipſa Catholica Eccleſia in cujus facie haec ſcripſit & promulgavit, erraſſe in hoc Auguſtinum unquam ſenſit. Explicavit porrò iſta in Conciliis Lugdunenſi II. Florentino & Tridentino quod
F dubium alicubi apud Auguſtinum remanſerat, animas Sanctorum poſt mortem in Coelos elevando, ubi Dei viſione fruerentur; ſed non dixit quòd quaeſtioni de loco, in qua ambiguus aliquando videtur Sanctus Pater, etiam error de ſtatu commiſceretur, quia eas hac viſione orbatas crederet ubicumque reciperentur. Nec illud objecit, aut aliter explicavit, quod Auguſtinus ſub nomine quietae felicitatis & pacis intelligebat; viſionem nimirum Dei & contemplationem deſideratae & conquiſitae ſapientiae ſanctis etiam veteribus in ſinu Abrahae, & prioribus illis, ad quos moriens congregatus eſt Abraham, & poſterioribus qui ad hunc

hunc credentium Patris sinum per Angelorum ministerium perducebantur, iis inquam ab eodem Deo rectis & justificatis, & justitiae testimonio commendatis, fuisse conlatam. A

Quinimmò si Tournely eos attentè perlustrasset libros, quibus Ecclesia Romana tantâ utitur veneratione, quos ideo Ecclesiasticos vocamus; fortasse hoc in negotio conniventiam quamdam ejusdem detexisset: etenim de Sancto Joseph in Breviario Romano legitur

Hac die Joseph meruit perennis
Gaudia vitae,

quod nisi de die obitus ejus intelligeret, cetera natalitia Sanctorum infirmarentur. Verùm ne id suspicari liberum cuiquam esset, addit B

O nimis felix, nimis o beatus,
Cujus extremam vigiles ad horam,
Christus & Virgo simul adstiterunt,
Ore sereno.
Hinc stygis victor, laqueo solutus
Carnis, ad sedes placido sopore
Migrat aeternas, rutilisque cingit
Tempora sertis.

Adde non aliud quotidiè fidelibus defunctis in Purgatorio existentibus in Liturgiis precari, nisi quòd *Signifer Sanctus Michael repraesentet eas in lucem sanctam, quam olim Abrahae* promisit Deus, *& semini ejus*; eisque ut *eam vitam* largiatur Dominus, quam eidem Abrahae hactenùs spopondit. C

Addatur denique, sententiam gloriae statim a morte Sanctis Innocentibus tributae, quae in serm. 10. de Sanctis, Augustino aliàs inscripto continetur, in die natali SS. Innocentium in Breviario Romano post tot ejusdem correctiones legendam relinqui; (quamvis hunc sermonem in appendicem rejecerint Maurini numero 220. sub hac censura: *Constat excerptis ex Augustini sermone 8. & 48., ex Ambrosiano de SS. Na-*

zario

D *zario & Celso, aliisque laciniis, quae Caesarium sapiunt.*) Ibi autem haec legimus. „ Et ideo cum summa exultatione gaudeat „ terra coelestium militum, & tantarum parens fecunda „ virtutum. Ecce profanus hostis numquam beatis par„ vulis tantum prodesse potuisset obsequio, quantum pro„ fuit odio. Nam sicut sacratissimum praesentis diei festum „ manifestat, quantum in beatos parvulos iniquitas abun„ davit, tantum in eis gratia benedictionis refudit..... „ Dignè natalem illorum colimus, quos beatius aeternae „ vitae mundus edidit, quàm quos maternorum viscerum „ partus effudit. Siquidem ante vitae perpetuae adepti
E „ sunt dignitatem, quàm usuram praesentis acciperent. „ Aliorum quidem pretiosa mors martyrum laudem in „ confessione promeruit: horum in consummatione com„ placuit. Quia incipientis vitae primordiis, ipse eis occa„ sus initium gloriae dedit, qui praesentis terminum impo„ suit. Quos Herodis impietas lactantes matrum uberibus „ abstraxit, qui jure dicuntur Martyrum flores, quos in „ medio frigore infidelitatis exortos, velut primas erum„ pentes Ecclesiae gemmas, quaedam persecutionis pruina „ decoxit.

Nollem quidem ab aliquo censeri, hujusmodi auctorita-
F tes me eo animo proferre, ut veluti ab Ecclesia absolutè definitam insinuem sententiam, quae alteri omninò contrariae inter Scholasticos communiter receptae evidentissimè opponitur. Meum non est in istorum rationes nunc ingredi, nec me multum augit quid potius ipsis placeat, vel utrum quod ipsis placet cum his quae mox protuli possit conciliari. Haec ideo dicta profiteor, ne Ecclesia, quae Augustino haereticos profliganti plaudit, contra quos paria de beatitate Sanctorum veteris testamenti saepe in suis scriptis repetivit, Sancti Doctoris minus firmam sententiam dissimulasse existimetur. Fortasse qui aliter sentiunt haec

haec etiam interpretari posse in suo sensu monstrabunt; sed alii quoque inde conjicient, haud firmissimè stare (donec aliud non probetur) illorum definitionem, qui animas Sanctorum ante Christum in inferis absque visione Dei ita collocant, ut aliter dicere contra catholicam fidem esse praetendant. Et qnoniam quae Tournely hîc dixit, & evidentiùs alia quae in laudato suo Opere persequitur, (suo tempore si dabitur perscrutanda) eòdem collimant, ut lectores in ea credulitate firmentur; necessariò hîc Breviarii & Missalis Romani sensus in medium produxi, ne vel Tournely Ecclesiam pro se citanti, vel aliis contrariam sententiam veluti de fide amplexandam praetendentibus, illicò acquiescamus. A B

Sed fortasse opponet aliquis, hujus sermonis verba nullam facere auctoritatem, quandoquidem Sancti Patris non sint: ita ut si aliquando daretur ea, quam Summus nunc feliciter regnans Romanus Pontifex Benedictus XIV. recentissimè cogitaverat, Breviarii Romani correctio, eâdem lectione sublatâ, mea inde ratiotinatio dessumpta periret. Aliud tamen est, quòd in correctione facienda lectio sufficeretur, quae ex eodem Sancto Patre genuina esset in laudem SS. Innocentium: aliud & longè diversum, quòd sententia de gloria ipsis statim a morte conlata, nunc improbaretur. Quamvis enim verum esse possit, quòd Sermo 10. de Sanctis Augustinianus non sit; non inde tamen diversam in Augustino doctrinam facilè est invenire. C

Constat sanè Augustinum in ea fuisse sententia ex pluribus locis. Libro enim 3. de libero arbitrio cap 23. n. 68. scripsit „ Non enim frustra etiam infantes illos, qui cùm „ Dominus Jesus Christus necandus ab Herode quaereretur, occisi sunt, in honorem Martyrum receptos commendat Ecclesia. „ Et Enarratione in Psalmum 47. n. 5. ait „ Metuere debent reges, ne regnum perdant, ne

D „ illis auferatur regnum, ficut mifer timuit Herodes, & „ pro parvulo occidit parvulos. Timens autem regnum amittere, non meruit regem agnofcere. Utinam & ipfe „ regem cum Magis adoraret; non male regnum quaerendo innocentes perderet, & nocens periret. Nam quod „ ad illum attinebat, perdidit innocentes: quantum autem „ ad Chriftum, etiam parvus, pro fe morientes parvulos coronavit.„ Abftineo a multò praeclarioribus afferendis in hac re, quae habentur in fermone de Symbolo ad Cathecumenos, qui in aliàs editis *Liber tertius* infcribebatur, quia juftam puto cenfuram de eodem & antecedenti & fequentibus a Maurinis prolatam, qua iftos Sancto Patri tribuere E certò non audent, rectiffimis momentis adducti (quibus aliqua addere & ipfe poffem) quae videre eft Editionis Novae tom. 6. ibi *Admonitio in Sermones de Symbolo ad Cathecumenos*. Ex iis tamen quae ex Sancto Patre proximè commemoravi liquet, quòd quamvis ille Sermo 10. de Sanctis Auguftini non fuerit, non ideò alia ab Auguftinianâ fententia fit commendata. Sed, ut dixi non ideo haec in Breviario leguntur quia Auguftinus fcripferit, fed quia haud correctione indigentia vifa funt. Hinc tantò poft ipfum, immo & poft inolitam contrariam in Scholis opi- F nionem, confona canuntur in laudibus Sancti Jofeph, & ceterorum omnium Martyrum & Confefforum antiqui inftrumenti, quibus commune cum Martyribus & Confefforibus novi Teftamenti eft decretum Officium.

Optarem fanè ut Sanctiffimus Pontifex ceteris praeclariffimis fapientiae & follicitudinis fuae monumentis, quibus quotidie Ecclefiam fibi commiffam illuftrat, etiam correctionem adderet Breviarii Romani, quandoquidem viginti quatuor infra annum diebus ultra Communia, lectiones ibi leguntur ex fermonibus Divi Auguftini, quos Maurini (fortaffe non abfque ratione) in Appendicem reje-

rejecerunt; etiam ut cessaret occulta exprobratio, qua ad eorumdem censuram addunt in sua Editione *Et ex hoc sermone legitur in Breviario Romano ad diem*... ut in citato Sermone 10. de Sanctis, tantoque magis quia ex genuinis & certis Sancti Patris libris, quae ad propositum essent, haud multâ operâ possent inveniri. A

Ad institutum revertens: si Tournely ea vidit quae supra ad defensionem Sancti Patris adduci potuisse jam ostendi ex propriâ dessumenda doctrinâ, ab iisque suasus non remanebat; cur non potius errorem istum Augustino objiciebat? Multò enim digniùs de Augustino sensisset, si illi hujusmodi errorem imputasset, quàm illum quo Sanctum Patrem veri millenarii regni fautorem etiam nollens declarat, ut in examine responsionum ad oppositos textus observatum est. A quo profectò purgabatur Augustinus, si Tournely dixisset, quod propè ex singulis ejus operibus elucet, visionem nimirum Dei, & beatitatem, quae in videndo Deo consistit, Sanctis etiam veteribus ante Christi descensum ad inferos Sanctum Patrem contulisse. B

Quid lucri adversantibus ex hac responsione obveniret? Certè ex ista tumor cessaret, quo Doctorem Ecclesiae Maximum Sanctis novi testamenti beatitatem negasse praetendunt; qua verè erronea imputatione sublatâ, omninò diversa quaestio dirimenda proponeretur; jure ne an injuriâ Augustinus hanc ipsam Dei visionem antiquis ante Christum passum concessisset, quod eruditionis caussam non excedit. Etenim, ut dictum est, nondum inveni ab Ecclesia definitum quod aliter sentientibus faveat; & quod definitum non est, caussam eruditionis excedere non potest in iis, qui cum moderatione Religioni nostrae debitâ de mirabilibus Dei quaestionem instituunt; tantoque magis, quia ex praenotatis Ecclesiasticorum librorum verba antiquorum Doctorum sententiis congruunt, sicut a recentiorum opinione discedunt. C

D At Scholaſticorum conſenſum fortaſſe pertimuit Tournely, a quibus ſinui Abrahae viſio Dei ante Chriſti deſcenſum in inferos communi voto denegatur; quamvis in cauſſa & in effectu hujus privationis aſſignando inter ſe ipſi diſſentiant quàm maximè. Metueret ſanè, adeoque pertimeſceret, ut contrariâ ſententiâ in Auguſtino recognitâ, tanto Patri hunc de cetero honorabilem coetum anteferret. Num verba deerant quibus & Scholaſticis debitum honorem praeberet? Immò quantum? Scholaſticis enim in hoc recta docentibus, Auguſtinum erraſſe remanet; ita ut, nonniſi tanti Viri impendio, Scholarum opiniones ſtare jam poſſint.

E Ea verò, quae de Breviarii Romani verbis in hac quaeſtione propoſui legiſſe non credo Tournely; ſatis enim videri poterant, ut libentiùs hanc opinionem Auguſtino daret, quam hic liber eidem tribuit fortè ab antiquiſſimis exemplaribus tempore triplicis correctionis deſſumptam. Cui dum Scholaſtici ſuis placitis occurrunt, non ideò illicò affirmandum videtur vel Auguſtinum erraſſe, vel Breviarii correctores (qui nonniſi Scholaſticorum ſententiis imbuti haberi poſſunt) pluries haec diſſimulaſſe; ſed ad ſummum quòd de hac re, multis diverſa opinantibus, F maturum & definitivum Eccleſiae judicium ſit expectandum, cujus in utramque partem conniventiam interim cognoſcere poſſumus; ſi pro communiori contraria Cathechiſmi Romani doctrinam in V. Symboli articulo explicando ſatis conſtanter ſtare attentè verba legenti videretur. Hinc nihil debitae Scholaſticis reverentiae deperit, nihil auctoritati Divini Officii; cujus tamen pleniori tutelae ſuffragantur interim rationes ob quas Sanctus Auguſtinus ſinui Abrahae talem beatitatem contulit, ut ibidem & non alibi Apoſtolos, Martyres & bonos quotidiè Fideles novi Teſtamenti, poſt Patriarchas & Prophetas Sanctos

tantâ

tantâ constantiâ collocet. Quibus propositis, & aliorum etiam Ecclesiae Latinae & Graecae Doctorum (quorum aliquos infra laudabo) in hac re cognitis sententiis, quae Augustinianae respondent, & Divini Officii verba commendant, fortasse etiam fieret, ut Scholastici in hoc vinci lucrum putarent. A

Quia autem laudatos textus non a Scholasticis oppositos sed ab haereticis patet; istis (Scholasticorum sententiam praeteriens) ostendere hilariter poterat Tournely, quod ex multiplici collatione doctrinae emergit credidisse Sanctum Patrem, caussae meritum absque decisione relinquens: ut si ii in hoc errasse Augustinum putarent, necessarium & magnum, & fortè inutilem laborem inirent ad hoc probandum. B Interim autem ex assidua Sanctorum Patrum lectione sibi comparare debebat Doctor Sorbonicus quod necessarium crederet, ut contrariis inventis a quocumque demum prolatis obviaret: unde ni fallor factum esset, ut in hac investigatione perseverans, ea inveniret, quibus suae jam praeconceptae opinioni mederetur. Sed, ut jam dixi, haec visio Dei Sanctis in sinu Abrahae collectis per illos textus patenter tributa ante Christi descensum in inferos, tam absona Tournely visa est; ut in ejus conspectu, assentiri potius voluerit Augustinum etiam Episcopum, non C solum millenariis aliquatenus inclinasse, sed pro ipsis expressè scripsisse; quod quamvis non suis verbis concedat, re tamen ex suis responsionibus consequitur.

Cur autem contra hunc potius quàm contra Hilarium in hoc duriùs agere voluerit, nondum intelligo. Eamdem enim, quam in Augustino damnat, priùs in Hilario sententiam commendaverat, causaeque catholicae faventem & intellexerat & scripserat. Cùm enim textus Hilarii in Psalmum 2. n. 48. objiceretur eà intentione ut beatitas Sanctis animabus usque ad judicii diem etiam ab hoc subtilis-

simo Doctore retardata monstraretur, in haec verba: *Ju-*
D *dicii dies vel beatitudinis retributio est aeternae, vel poenae. Tempus verò mortis habet interim unumquemque suis legibus, dum ad judicium unumquemque aut Abraham reservat, aut poena*: respondet Tournely „ Judicii dies, de qua loquitur, est dies Judicii non „ ultimi & universalis, sed particularis, quod statim a morte „ quilibet homo experitur. Quod ibidem probat Sanctus „ Doctor exemplo divitis epulonis & Lazari, qui uterque „ sine mora statim judicatus fuit; & iste *gloriam*, ille verò „ debitam *poenam* reportavit. Unde testimonium illud San„ cti Hilarii favet plurimùm caussae catholicae, nedum „ ipsi noceat.

E Idem porrò favor caussae catholicae etiam ex Augustino de sinu Abrahae & de Lazaro ibi recepto in comparatione divitis toties loquente obveniebat; nec umquam intelligam, quare non eadem reposuerit Augustinum purgaturus, quae pro Divo Hilario rectè dicta laudavit. Num verba Hilarii praeclariora Augustinianis in hac re haberi poterant? Sed interim notabunt lectores, alium item Ecclesiae Doctorem cum Augustino hoc expresse docere; in cujus verbis nullam culpam invenit Tournely, quamvis apertissimè sentiat, Lazarum in sinu Abrahae gloriâ, quae in videndo Deo
F consistit, gavisum esse; nam profectò Lazarus illic receptus est antequam Christus pateretur; nec liberari opus habebat jam beatus, dum Christus in inferna descendit. Quòd si hoc male sonat in Augustino, non potest commendari in Hilario: & si in utrisque rectum est; sinus Abrahae non ea regio est Ecclesiae Patribus, in qua Sancti absque visione Dei detinerentur, quia nondum tempus consequendae mercedis advenerat.

Eamdem item sententiam Chrysostomo insedisse agnovit Tournely, ut ex iis patet, quae de eodem Sancto Patre in purgandis ejus textibus affert; quibus tam consonis testi-

mo-

moniis ad hanc quaeſtionem penitiùs perſcrutandam, cur A
incitatus non fuerit, antequam omninò contrariam firmandam eſſe concluderet, divinare non poſſum.

Ut autem alios item Patres in hac fuiſſe ſententia, quam praeproperè damnat Tournelÿ lectores agnoſcant, legendum admoneo aureum ſanè opus & profundae eruditionis refertiſſimum, quod nuper clariſſimus, & de litteraria republica atque fide catholica optimè meritus Ludovicus Muratorius adverſus Thomae Burneti Britanni librum de ſtatu mortuorum edidit, De Paradiſo Regnique coeleſtis gloria, non expectatâ corporum reſurrectione, abundè & enixè diſputans. Fateor me hinc quoque adductum ad quaeſtionem meditandam de ſtatu animarum Sanctorum Patriar- B
charum & Prophetarum ante Chriſti adventum in carne: quae enim ſapientiſſimus Vir in aſſerendo hoc dogmate pro juſtis novi teſtamenti ex ſcripturis profert, eadem & antiquis illis favere mihi videbantur; unde pari ratione de utriſque eſſet judicandum. Accedebant frequentes Patrum auctoritates ex remotiſſima antiquitate ibi collectae, quae in id convenire videntur de Lazaro, de bono Latrone, de Martyribus haebreis, de praecipuis Prophetis & Patriarchis, & demum de Sanctis Innocentibus loquentes. Nec eſt cur me doleat, quòd totum legentes, virum doctiſſi- C
mum Scholarum opinioni circa antiquos Sanctos adhaerere intellecturi ſint. Fortaſſe enim fiet, quòd aliqui hujuſmodi fructuoſae lectioni incumbentes, illud etiam ſentiant, quod ego expertus ſum, ſuſpicari nimirum licere, num res aliter, quàm nunc communiter docetur, ſe habere poſſit; quandoquidem quae ibi leguntur huic item opinioni ſuffragantur.

Si quis autem quaerat, cur homo acutiſſimus hinc ſuum perutilem laborem non adjuverit, quadraginta ſaltē ſaeculorum parem fidem & praemium noſtro dogmati ſuperinducens;

D prudentiae ſuae deputet in hac quaeſtione ſilentium. Scie-
bat enim quàm diſpari ratione haec agantur a noſtris, qui
tamen omnes, Patriarchas & Prophetas, ceteroſque Juſtos
ſtatim a deſcenſu Chriſti ad inferos beatos fatentur. Quam-
obrem incommoda potius ſuo propoſito haec diſputatio
evaſiſſet, & Burneto ſectatoribuſque ſuis charior, dum
anſam contradictioni ſuppeditaſſet quaſi ex noſtrorum con-
ſenſu. Contra hunc igitur Sanctorum felicitatis hoſtem
dogma aſſerere ſat erat, cui nihil deperit, quandoquidem
Sancti veteres uſque ad Chriſtum in lymbis detinerentur
viſione Dei orbati: quaeſtio enim circa praeſentem San-
E ctorum beatitatem verſabatur, qua & illi cum iſtis nunc
fruuntur catholica fide.

De cetero quanta etiam hinc dici poſſent tantum virum praeſenſiſſe conſcius ſum ex ejus litteris ad me benignè datis, iis profundè, amantèr, prudenterque reſpondens, quae ipſi de meis meditationibus in hac re patefacere auſus ſum; & futurum ſpero, ut hoc meo labore per eum inſpecto, animum addat juveni praeclari ſenis glorioſis veſtigiis inſiſtere nitenti; nec privatam gloriam ſed utilitatem publicam vigiliis ſuis pro virium tenuitate proponenti. Sed proſequamur doctrinam Tournely.



CAPUT

CAPUT DECIMUMSEPTIMUM. A

Examinantur loca, quae sibi opponit Tournely tertio loco, quibus respondendo vim non retundit, qua millenarii nota Sancto Patri ab adversantibus inuritur.

PRimò perpendere praestat, quamvis loco non praecedat textum Sancti Patris Tractatu 49. in Johan. n. 10., tum quia proximè dictis affinior est, tum quia deinde tractandis viam facilem sternit. Reverà primo adspectu pauca illa verba dubitationem ingerunt fidei Sancti Patris; videtur enim quòd dicens *Promissa est resurrectio carnis..... vita aeterna cum Angelis. Hoc omnes simul accepturi sumus*, beatitatem in praesentiarum Sanctis deneget, saltem penes eos, qui ex Evangelica doctrina rectè sustinent, hanc perfectam aequalitatem cum Angelis nonnisi in carnis resurrectione Sanctis esse reddendam. Sed etiam hîc, non pauca illa verba a quocumque transcripta referre debebat Tournely; sed intentionem Sancti Patris ex contextu eruere, praecedentia & subsequentia in fonte examinando, & ex fonte afferrendo, ut & sibi in responsione consuleret, & iis etiam, qui haec pauca legentes, nec fontem assequi valentes, scribentium insuper auctoritate devicti, saltem apud se minus recta de Doctore Latinorum illustrissimo sentire assuescunt.

B

C

Inspiciamus igitur locum integrum. „ Sicut ergo diversae custodiae, inquit, agentium in officio, sic diversae „ custodiae mortuorum, & diversa merita resurgentium: „ receptus est pauper: receptus est dives; sed ille in sinu „ Abrahae, ille ubi sitiret, & guttam non inveniret. Habent ergo omnes animae, ut ex hac occasione instruam „ charitatem vestram, habent omnes animae cùm de saeculo exierint, diversas receptiones suas, habent gaudium

„ boni,

D „ boni, & mali tormenta. Sed cùm facta fuerit resurre-
„ ctio, & bonorum gaudium amplius erit, & malorum
„ tormenta graviora quando cum corpore torquebuntur.
„ Recepti sunt in pace Sancti Patriarchae, Prophetae,
„ Apostoli, Martyres, boni Fideles, omnes autem adhuc in
„ fine recepturi sunt quod promisit Deus: promissa enim
„ est resurrectio etiam carnis, mortis consumptio, vita
„ aeterna cum Angelis, hoc omnes simul accepturi sumus:
„ nam requiem, quae continuò post mortem datur, si eâ
„ dignus est, tunc accipit quisque cùm moritur. Priores
„ acceperunt Patriarchae, videte ex quo requiescunt: po-
E „ steriores Prophetae; recentiùs Apostoli, multò recentio-
„ res Sancti Martyres, quotidie boni Fideles, & alii in ista
„ requie tamdiu sunt, alii non tamdiu, alii paucioribus annis,
„ alii recenti tempore. Cùm verò ab hoc somno evigilave-
„ rint, simul omnes quod promissum est accepturi sunt.

Vel Tournely haec vidit, & certè contra conscientiam dictavit quae de sinu Abrahae supra perpendimus; vel non vidit, & minus prudenter ad non bene perpensa respondere praetendit. Hîc enim sive gaudium recolas, quod profectò animae separatae non est nisi Deus; sive augmentum gaudii, quod post corporum resurrectionem erit; sive in
F ea requie (quam idem cum gaudio esse pronunciat Augustinus) priores receptos Patriarchas, posteriores Prophetas, quò recentiùs Apostoli, multò recentiores Martyres, & boni quotidiè Fideles; sivè quòd haec requies, quae post mortem datur, si eâ dignus est, tunc accipit quisque cùm moritur: haec omnia tam praeclarè eamdem beatitatem in sinu Abrahae ante Christum passum justis conlatam declarant, quam postea Apostoli & Martyres sunt consecuti, ut ridendus meritò sit, quicumque tantae luci nebulas offundere conaretur.

Inde saltem responsionem suam ad loca ex Augustino oppo-

opposita juxta jam dictam intentionem meam eruere poterat Tournely; nam si in praeconcepta opinione privationis visionis Dei in sinu Abrahae stat firmus, numquam hunc nimis apertum locum Sancti Patris purgabit; in quo si visionem Dei Sanctis in sinu Abrahae ante Christi manifestationem in carne denegatam autumat, hanc eamdem Apostolis & Martyribus & bonis Fidelibus etiam post Christum passum absque ullo effugio denegatam ab Augustino fateretur. Quod si non placet (hic enim locus Augustini jam Episcopi est) ad illud recurrere oportet, quòd beatitas animarum in sinu Abrahae receptarum, nullo temporis discrimine a Sancto Doctore sustineretur. In quo si errasse Augustinum pronunciare potest Doctor Sorbonicus, sua fundamenta proferat, ut omnibus maturè perpensis de utriusque rationibus pronuncietur judicium. A B

Hic igitur locus, ut dixi, lucem suppeditat iis omnibus, in quibus Sanctus Pater aequalitatem cum Angelis hominibus sanctis in resurrectione promittit; ut non ideo quia haec aequalitas expectatur, a requie deficiant, in qua jam recepti sunt; sed ut huic jam constanti gaudio amplius gaudium in corporum assumptione addatur, sicuti impios majora tormenta tunc manent.

Tardioribus autem non hic locus sufficiet ad solvenda quae in antecedentibus objiciuntur. In illis enim ex epistola 148. ad Fortunatianum, & ex Psalmo 43., non majus gaudium Sanctis expectandum in resurrectione praefertur, sed ipsummet gaudii fontem, visionem scilicet Dei facie ad faciem. Tardioribus dixi: diligentiores enim, atque hi, qui ex recitato textu gaudium animae non aliunde cum Augustino esse cognoscent, quàm a visione Dei; hanc etiam nonnisi perfectam idest facie ad faciem ex tunc esse probabunt: ita ut haec visio Dei facie ad faciem, quam Augustinus cum Hieronymo & aliis Patribus promittit Sanctis, C

D ctis, cùm de hominibus in Angelos profecerint, illam anteriorem & facie ad faciem non excludat; ſed aliam item ad quam illud facie ad faciem accomodari poſſit inquirendam admoneat. Quamvis enim in poſtremo, qui opponitur loco ex lib. 1. Retract. c. 14. n. 2. Auguſtinus videri poſſit ambiguus, num Sancti vitâ functi ex corporis praeſenti defectu nihil minus habeant ad contemplandam cordis oculis veritatem, ſicut dictum eſt, facie ad faciem; ſubdit tamen *non hic locus eſt diſputando inquirere*. Ita, nec quid ipſe ſentiret in hac re ibi declaravit; & fortaſſe humili & humano more ſuo adductus, a pluribus abſtinuit
E in eorum obſequium, qui aliter ſentirent, quàm ipſe ſuis ſcriptis aliàs intelligere demonſtraverat.

Sicuti enim omnes etiam nunc Theologi ex hoc Sanctos aliquid minus habere putant, quia naturalis appetitus corporis adminiſtrandi, juſtorum animas quodammodo retardat ne totâ intentione pergant in illud ſummum coelum, quod Auguſtinus aliàs jam dixerat lib. 12. de Geneſ. ad litt. c. 35. fortaſſe etiam tunc eadem aliqui opinabantur. Quae cùm contra fidem non ſint, atque in eruditionis cauſſam reſolvantur, noluit fortaſſe Auguſtinus veluti impugnanda ſuſcipere, ea proferendo, quae tractu tem-
F poris in hoc meliora didicerat, & in aliis operibus ſuis funditùs docuerat. Ita & ſibi integram hanc quaeſtionem ad tempus opportunum reſervavit, & quibus aliter videbatur indulſit, ut ſaltem in hac eorum opinione nihil contra fidem tenere ſentirent.

De cetero quantum huic etiam difficultati ſolvendae confert, jam propoſuerat in laudata epiſtola 148. ad Fortunatianum, (ex qua verba, quae opponuntur mox conſiderabimus) ubi ait: „ Qui autem manet in charitate, in „ Deo manet, & Deus in illo manet, quia Deus charitas „ eſt, ſive tamquam ejus fons ineffabiliter exiſtendo, ſive

„ illam

„ illam nobis per ſpiritum ſuum largiendo. Si ergo doceri „ poteſt, quòd charitas corporalibus oculis aliquando videbitur; poterit fortaſſis & Deus. Si autem iſta numquam „ poterit; multò minus ipſe fons ejus, vel ſi quid dici „ excellentius & convenientius de tanta re poteſt.„ Profectò qui attentè haec verba ſcrutantur, unde propoſita quaeſtio ſolvatur inveniunt. Si enim Deus charitas eſt, & charitas per oculos corporis numquam videri poterit, ſed ſolo ſpiritu & mente & nunc videtur, & tunc videbitur; remanet ut ſi nunc Sancti charitatem facie ad faciem perfectè non contemplantur, nec tunc eam viſuri ſint, quia a corpore, quod recipient, nullo modo in hac contemplatione poterunt adjuvari. Sed, ut dictum eſt, ſolemnis Auguſtini mos fuit, ut in iis, quae ſalva fide ab aliis ſentiebantur, non magiſtrali cenſurâ, ſed prudenti admonitione procederet; ut qui ea aſſequi poterant quae ipſe quaſi dubius effundebat, inſtructi dimitterentur; & qui aſſequi non poterant, non confunderentur. A B

Non eâdem tamen utebatur indulgentiâ Sanctus Vir, quandoquidem eas opiniones invaleſcere audiebat, quae expreſſè contra fidem erant. Ejuſmodi illa fuit, qua quidam opinabantur, Deum; in ſubſtantia Dei ab oculis noſtris corporeis eſſe videndum; quia & illud putabant, Chriſtum ſecundùm hominem, Deum Patrem corporeis oculis vel vidiſſe, vel videre potuiſſe eâ poteſtate, qua ſimul Deus eſt, ſecundùm quam oculis corporis ſui hanc etiam gratiam tribuere, atque largiri valebat. Hìc jam non talia ſentientes palpat, ſed toto rationum robore contra inſurgit, eoſdemque confundit. „ Nec quiſquam exiſtimet, inquit, ideò „ meritò poſſe dici corporeis oculis a Filio Patrem videri, „ ac non potius ſicut a Patre Filium, quia illi, qui hoc „ putant, cùm in reddenda ratione defecerint, poſſunt „ & ipſi dicere, *Si ratio quaeritur, non erit mirabile*: hoc C

„ enim

D „ enim dictum est, non quia non est ratio, sed quia latet.
„ Illius autem non miraculi sed erroris, demonstrare
„ debet nullam esse rationem quisquis id opinantes refel-
„ lere aggreditur. Sicut enim nulla ratio est, qua Dei
„ natura moriatur, aut corrumpatur, aut peccet; & cùm
„ hoc Deum non posse dicimus, non derogamus potestati
„ ejus, sed aeternitatem veritatemque laudamus: ita cùm
„ dicimus non posse videri oculis corporeis, non latet, sed
„ patet ratio benè intelligentibus, qua perspicuum est,
„ Deum corpus non esse, nec aliquid corporeis oculis cerni
„ posse, nisi quod alicujus intervalli interpositione cerna-
E „ tur: id autem nonnisi corpus esse, eamque substantiam,
„ quae minor sit in parte quàm in toto; quod de Deo cre-
„ dere nefas est, etiam iis qui hoc intelligere nondum va-
„ lent. Ad Evodium epist. 162., aliàs 101. n. 8.

Hinc fortasse occasionem habuit Commonitorium sive epistola 148. ad Fortunatianum: Augustinus enim in quadam epistola scripserat *istius corporis oculos non videre Deum, nec esse visuros*; quod alium Episcopum, quem non nominat, adeò offendit, ut Augustinus ejus indignationis certior factus, sancta humilitate Fortunatiani episcopi officia interposuerit, qui praesens cum altero ageret, ut si quid durius
F ipse in ea epistola protulerit, sibi ignoscatur. Huic autem humilitati confirmationem commiscet jam dictorum ad caussam, ne veniam petenti illud subrepisse videretur, ut etiam sententiam illam repudiasset. Veniam igitur dari cupit si quid asperius in verbis effatus est; sententiae autem suae taliter veritatem tuetur atque confirmat, ut qui verbis se laesum prodiderat, veniam ab Augustino petere debuisset, quòd aliter in tanta quaestione sensisset.

Addit enim „ Caussam quippe adjunxi cur hoc dixerim,
„ ne scilicet Deus ipse corporeus esse credatur, & in loci
„ spatio intervalloque visibilis. Nihil enim videre aliter

„ istius

„ iſtius corporis oculus poteſt. Et ne illud, quod dictum A
„ eſt *Facie ad faciem*, ſic accipiatur, tamquam membris cor-
„ poris terminatus ſit Deus. Ideò me ergo dixiſſe illud
„ non poenitet, nè de ipſo Deo tam impiè ſentiamus, ut
„ eum non ubique totum, ſed per localia ſpatia diviſibilem
„ exiſtimemus. Talia quippe his oculis novimus.

„ 2. Caeterùm nihil tale de Deo ſentiens, ſed eum
„ incommutabilem & incorporalem ſpiritum ubique to-
„ tum eſſe credens, ſi tantam quiſquam mutationem hujus
„ corporis futuram putet, cùm ex animali fuerit ſpiritale,
„ ut etiam ſubſtantiam incorporalem, non locorum inter-
„ vallis vel ſpatiis diviſibilem, vel etiam membrorum B
„ lineamentis ac finibus terminatam, ſed ubique totam,
„ per tale corpus videre poſſimus; volo ut me doceat ſi
„ verum ſapit; ſi autem in hoc falſum ſentit, longè tole-
„ rabilius eſt corpori aliquid arrogare, quàm Deo derroga-
„ re. Et ſi vera eſt iſta ſententia, non erit contraria verbis
„ meis, quae in illa epiſtola poſui. Iſtius namque corporis
„ oculos dixi non viſuros Deum, hoc intuens quòd iſtius
„ corporis oculi omninò non poſſunt cernere niſi corpora,
„ quae ab eis aliquo loci intervallo ſeparata ſunt: nam ſi
„ nullum intervallum ſit; nec ipſa corpora per eos vide-
„ mus. C

„ 3. Porrò autem ſi in tantam ſui diſſimilitudinem no-
„ ſtra corpora mutabuntur, ut oculos habeant, per quos vi-
„ deatur illa ſubſtantia, quae non per locorum ſpatia vel
„ diffunditur vel finitur, alibi habens aliam partem, alibi
„ aliam, in minore loco minorem, in majore majorem,
„ ſed ubique incorporaliter tota eſt; longè aliud erunt haec
„ corpora, & non erunt ipſa; nec ſola detractâ mortalitate
„ atque corruptione & ponderis gravitate aliud erunt, ſed
„ in virtutem ipſius mentis quodammodo convertentur, ſi
„ videre poterunt, quod tunc menti, nunc autem nec ipſi
„ menti

D „ menti videre concessum est. Si enim mutatis moribus
„ dicimus hominem non esse qui fuit, si denique mutatis
„ aetatibus ipsum corpus dicimus non esse quod fuit: quantò
„ magis ipsum non erit, tanta conversione mutatum, ut
„ non solùm immortaliter vivat, verùm etiam invisibilem
„ videat? Quapropter si videbunt Deum, non istius cor-
„ poris oculi videbunt; quia & in hoc non erit ipsum cor-
„ pus usque in illam vim potentiamque mutatum, & non
„ est contraria ista opinio illis verbis epistolae meae. Si
„ autem hactenus non erit ipsum, quia nunc mortale,
„ tunc immortale, nunc aggravans animam, tunc nullo
E „ pondere ad omnem motum erit facillimum: ad videnda
„ verò ea, quae locorum spatiis intervallisque cernuntur,
„ si non aliud quàm ipsum erit, substantiam incorporalem
„ & ubique totam nullo modo videbit. Sive ergo hoc, sive
„ illud verum sit, secundum utrumque verum est, quòd
„ istius corporis oculi Deum non videbunt. Aut enim
„ istius erunt, & non videbunt; aut non erunt istius si vi-
„ debunt; quoniam tantâ commutatione longè alterius
„ corporis erunt.

„ 4. Sed paratus sum, si quid de hac re melius novit fra-
„ ter, vel ab ipso, vel ab illo, a quo didicit, discere.„

F Ut autem confirmet, hanc virtutem videndi Deum, qui charitas est, oculis corporeis numquam esse concedendam, non suis jam, sed Sanctorum Ambrosii & Hieronimi, Athanasii & Gregorii utitur verbis„ ut noverit „ iste frater, inquit n. 13., non se de hac re mecum ma- „ gis, quàm cum prioribus agere debere, si quid eum contra „ permovet .... qui omnes, ait n. 6., ubi, eis occasio data „ est dixerunt invisibilem Deum invisibiliter videri, hoc „ est per eam naturam, quae in nobis quoque invisibi- „ lis est, mundi scilicet mente vel corde.„ Horum autem in scripturis sanctis doctissimorum virorum sententias

pro-

proferens, illam tranſcribit ex Sancti Hieronymi l. 1. in A
Eſaiam deſſumptam, quam ſibi opponit Tournely, quamque explicaturus Sanctus Pater, ſubdit.

„ 8. In his verbis hominis Dei, multa conſideranda „ ſunt. Primum quia ſecundùm apertiſſimam Domini „ ſententiam, etiam ipſe ſentit, tunc nos viſuros faciem „ Dei cùm in Angelos profecerimus; quod erit utique „ in reſurrectione mortuorum. Deinde Apoſtolico teſti„ monio ſatis aperuit, non exterioris, ſed interioris ho„ minis faciem intelligendam cùm videbimus facie ad „ faciem: de facie quippe cordis loquebatur Apoſtolus, „ cùm diceret quod hinc commemoravimus *Nos autem* B
„ *revelata facie gloriam Domini ſpeculantes, in eamdem imaginem* „ *transformamur*. Quod ſi quiſquam dubitat, recenſeat „ eumdem locum, & adtendat unde Apoſtolus loqueba„ tur, de velamine ſcilicet quod manet in lectione vete„ ris Teſtamenti, donec quiſque tranſeat ad Chriſtum, „ ut auferatur velamen. Ibi quippe dicit *Nos autem revelata* „ *facie gloriam Domini ſpeculantes*; quae facies in Judaeis „ non erat revelata; de quibus dicit *Velamen ſuper cor eorum* „ *poſitum eſt*, ut oſtendat cordis faciem nobis eſſe revela„ tam, velamine ablato. Poſtremò ne quiſquam iſta „ minùs intuens, minuſque diſcernens; viſibilem Deum C
„ vel Angelis, vel hominibus cùm aequales Angelis facti „ fuerimus, ſive nunc eſſe, ſive futurum eſſe crederet, „ evidentiſſimè quid ſentiret expreſſit, dicens (quòd faciem „ Dei juxta naturae ſuae proprietatem, nulla videat crea„ tura, & tunc mente cernatur, quandò inviſibilis cre„ ditur) unde ſufficienter ſignificavit, quando viſus eſt „ ab hominibus per oculos corporis, tamquam ipſe cor„ poreus, non eum, ſecundùm naturae ſuae proprietatem „ fuiſſe viſum, in qua tunc mente cernitur, quando invi„ ſibilis creditur. Quibus inviſibilis, niſi adſpectibus cor-

D „ poralibus etiam coeleſtibus, ſicut ſuprà de Angelis & „ Poteſtatibus & Dominationibus dixit? quantò magis „ terreſtribus?

„ 9. Unde alio loco evidentiùs dicit (non ſolum Patris „ divinitatem, ſed nec Filii quidem, & Spiritus-ſancti, „ quae una in Trinitate natura eſt, poſſe oculos carnis ad- „ ſpicere, ſed oculos mentis: de quibus ipſe Salvator ait „ *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.*) Quid hac „ manifeſtatione lucidius? Si enim tantummodo dixiſſet „ Nec Patris, nec Filii nec Spiritus-ſancti divinitatem „ poſſe oculos carnis adſpicere, nec deinceps addidiſſet ſed E „ oculos mentis, fortè diceretur, carnem jam non eſſe ap- „ pellandam, cùm corpus fuerit ſpiritale. Addendo ergo, „ & dicendo ſed oculos mentis, ab omni genere corporis „ alienavit hujuſmodi viſionem. Ne quis autem putaret, „ eum tantùm de praeſenti tempore locutum, ſubjecit „ etiam Domini teſtimonium, volens oſtendere, quos di- „ xerat oculos mentis, quo teſtimonio non praeſentis, ſed „ futurae viſionis promiſſio declaratur *Beati mundo corde, quo-* „ *niam ipſi Deum videbunt.*

His omnibus debita maturitate perpenſis, cuique diligenti patebit, reſponſionem a Tournely datam etiam textui ab F hac epiſtola petito, ad rem non eſſe, quod ſemper ab hae- reticis loco magnae victoriae computatur. Quamvis enim novis ſcriptis has infirmitates non detegant, tamen vivâ voce inter ſuos fautores enumerant, unde & ipſi primùm & ceteri in ſuis erroribus confirmantur. Quomodo enim ad rem eſſe putari poterit dicere „ Manifeſtum eſt (in „ epiſtola ad Fortunatianum) Sanctum Doctorem loqui „ de viſione Dei perfecta & conſummata, qualis futura eſt „ poſt reſurrectionem corporum: non autem de viſione „ ſeu beatitudine inadaequata, qua donantur animae San- „ ctorum ſtatim a morte corporis?„ Si enim totam legit

laudatam

laudatam epistolam, vidit profectò de ea visione Dei quaestionem esse, quam & Angelis & hominibus negant cum Augustino doctissimi Patres; & rursus quòd nullo modo per oculos corporis videri possit Deus. Ergo si visionem Dei per oculos carnis negat ibi Augustinus, quomodo perfecta & consummata fiet visio Dei in corporum resurrectione, dum tunc illud animae accedet, secundum quod Deum videre numquam poterit? Rursus quomodo totus homo beatus videbit tunc Deum cùm aequalis Angelis factus fuerit, si nec Angeli, nec Throni, nec Potestates, nec Dominationes, nec omne nomen quod nominatur, videre Deum in natura sua possunt, sicuti Sanctus Hieronymus n. 7. ejusdem epistolae docet? A B

Aliud enim & longe diversum est, quod hic docetur, & aliud, quod veluti ab hac epistola dicit Tournely „ Mens „ Sancti Doctoris est animas Sanctorum videre quidem „ Deum, sed non ita perfectè ac videbunt post resurre„ ctionem: propterea quod naturale desiderium recipiendi „ corpus non sinat animas toto impetu, ac conatu ferri in „ Deum: atque hoc esse discrimen inter Angelos & ho„ mines, quòd Angeli cùm nihil amplius expectent, toti „ ferantur in Deum; animae verò Sanctorum quodammo„ do retardantur desiderio resumendi corpus, ne pleno ac „ perfecto modo in Deum ferantur. „ Haec enim respon„ sio aliquatenus juvat ei objectioni solvendae, quae ex lib. 1. Retract. c. 14. proponitur, ubi quaeritur num animae Sanctorum ex defectu corporis, cujus resurrectionem expectant, aliquid minus habeant ad contemplandam cordis oculis veritatem: illi autem, quae oritur ex verbis epistolae ad Fortunatianum, nihilo inservit. Et Angeli enim & homines sub eâdem impotentia ibi firmantur videndi Deum in substantia Dei, secundò multò magis haec eadem visio corporalibus oculis denegatur. C

Quibus solis pro nunc attentis, fateri cogetur Tournely
D suis responsionibus non quantum satis provisum esse ad haec diluenda, quae ex natura rei objecta eruuntur. Cognoscet etiam Doctor Sorbonicus, istiusmodi argumenta non parvo labore & unâ paginâ expleri; satiusque esse ea praeterire; quàm proposita ad unguem non pertractare. Quod igitur ipse fortasse superfluum putavit, mihi videtur necessarium; nec tempus terere credo dum prolixiori examini ea subjicio, quae ex epistola ad Fortunatianum opponuntur; ut vera mens Sancti Patris ad haereticorum confusionem, & nostram aedificationem elucescat.



CAPUT

CAPUT DECIMUMOCTAVUM. A

Vera mens Sancti Augustini in quaestione discussa in Epistola ad Fortunatianum de videndo Deo, ubi quid ipse pro aequalitate cum Angelis promissa Sanctis hominibus in resurrectione sentiret, differitur.

DIctum est supra occasionem Commonitorii ad Fortunatianum, verba cujusdam epistolae Augustini suppeditasse, qua dixit istius corporis oculos nec videre Deum, nec visuros esse. Hoc autem de Deo in substantia divina eum intellexisse, non solùm ejus verba demonstrant, sed B
item illa quae affert ex Divo Hieronymo, quibus visionem Dei non hominibus tantùm, sed & Angelis denegando, addit quod intentionem suam demonstrat, scilicet Deum a nullo vel visum esse vel videri posse *sicuti est in natura sua*, causâ paucis assignatâ, *neque enim*, inquit, *creatura potest adspicere creatorem*. Hinc igitur non corporeis oculis modò, sed & cordis oculis visio Dei in natura sua denegatur; quod probè intelligitur pro ea perfecta comprehensione naturae illius perfectissimae, illimitatae, Creatricis, ubique diffusae & ubique totae, secundùm quam ipsae solae Trinitatis personae se invicem comprehendunt, & ad quam aequaliter C
pervenire spiritus creatus & limitatus non potest, nisi illud fieret, quod ipse Deus est, quod porrò repugnat, quia *Deus unus est*.

In hoc sensu invisibilem Deum dicit Divus Ambrosius a Divo Augustino citatus in antecedenti epistola ad Paulinam n. 17., ubi haec habet: „ Et ideo *Deum nemo vidit unquam*, quia eam, quae in Deo habitat plenitudinem Divinitatis nemo conspexit, nemo mente aut oculis comprehendit. (super Luc. l. 1. cap. 1.) Unde & Apostolus dixit

D (1. Timoth. 6. 16.) *Qui solus habet immortalitatem, & lucem inhabitat inaccessibilem; quem nemo hominum vidit, sed nec videre potest*. Quod si haec Apostoli limitatio non Angelis convenire quisquam opinaretur, indeque quod invisibile est hommini, visibile Angelis diceret, audiat eumdem (ibid. cap. 1. 17.) universaliter praedicantem *Regi saeculorum immortali, invisibili, soli Deo*.

Hae igitur omni creaturae denegatâ visione, secundùm quam Deus omnibus praeter quam sibi invisibilis est; eam tamen visionem & Angelis & Sanctis competere declarat, quae a Salvatore promittitur dicente *Beati mundo corde; quo-*
E *niam ipsi Deum videbunt*; qua item visione constante, adhuc Deus invisibilis perseverat.

Quomodo autem invisibilis videri possit, quod absurdum primâ fronte videtur explicans, ait n. 11. „ negare „ non possumus filios Dei visuros Deum, sed sicut viden„ tur invisibilia sicut se ipsum ostensurum promittebat qui „ hominibus apparebat in carne visibilis, quando dicebat, „ *Et ego diligam eum, & ostendam me ipsum illi*, cùm ante ocu„ los hominum conspicuus loqueretur. Unde autem invi„ sibilia videntur, nisi oculis cordis? „ Hujus visionis exemplum habemus in Apostolo Petro; cùm enim interrogasset
F Dominus discipulos, quem ipsum, (multis diversa opinantibus) crederent; respondissetque Beatus Petrus, dicens: *Tu es Christus Filius Dei vivi*; Dominus ait: *Beatus es Simon Bar-Jona quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in Coelis est*. „ Ubi Petrus Apostolus per revelationem „ Summi Patris, (ait Sanctus Leo Hom. de Transfigura„ tione) corporea superans & humana transcendens, vidit „ mentis oculis Filium Dei vivi, & confessus est gloriam „ Deitatis: quia non ad solam respexit substantiam carnis & „ sanguinis. „ Judaei autem eum non viderunt (verba sunt Sancti Ambrosii n. 6. laudatae epistolae ad Fortunatianum) obcae-

obcaecatum enim erat insipiens cor eorum; quamvis eum in carne viventem & secum loquentem per oculos corporis certissimè intuerentur. Eis igitur oculis a Deo Patre illuminatis videbimus Deum, quibus eumdem fide tunc cernimus, cùm invisibilem credimus, ut supra dicebat Sanctus Hieronymus. A

Illud ego saepe prospiciens, quod dixit Augustinus, Deum videndum sicuti videntur invisibilia; haec autem nonnisi a cordis oculis videri: cogitabam, num exemplum hominis viventis & animam suam conspicientis, juvare mentem nostram posset ad hanc Dei visionem quoquomodo intelligendam. Additum est ad incitamentum quod inveni in Sancto Patre. „ Nulla, inquit, propior natura est, qua B
„ diligenter inspectâ, possit etiam Deus, qui super omnem
„ creaturam suam incommutabilis permanet, incorporaliter cogitari, quàm ea, quae ad ipsius imaginem facta
„ est: & nihil vicinius, aut fortasse nihil tam consequens,
„ quàm ut, credito quòd anima corpus sit, etiam Deus
„ corpus esse credatur; (de Genes. ad lit. lib. 10. cap. 24.
„ n. 40.

Dicebam igitur: Certus sum me ex corpore & anima constare. Rursus animam meam substantiam vivam & cogitantem intelligo, propter quam rationalis sum, & ex qua vivit corpus meum; qua sublatâ, corpus moritur, & nullo amplius sensu vegetatur; unde & illud consequitur, animam per sensus meos solam sentire. Sentio item animam meam creaturam esse, a se enim esse non potest. Si enim a se ipsa esset, quaero num melior esse posset? Cùmque certissimè posset, & non sit (mutabilis enim est), patet quod ab alio sit. Hunc autem a quo est, meliorem eâdem anima esse; melior est enim omnis artifex opere suo. Ipsum verò a quo anima est, spiritum esse necesse sit; nam si corpus, hoc eodem a quo est, anima mea melior esset: ani- C

D mam autem meliorem corpore esse constat. Spiritum autem cùm intelligo, jam invisibilem oculis carnis meae credo; & ipsa enim iisdem oculis invisibilis est, quam tamen sentio corpori praesentem, & de se intra se colloquentem, & se majorem quaerentem, & invenientem. Ergo non solùm animam meam invisibiliter video, sed per hanc & aliud intelligo, quod animâ meâ melius sit. Quod, si quandoque oculis corporis mei obvium esset, jam animâ meâ inferius esset. Ipsa enim anima si ab oculis corporis mei videri posset, jam videretur per partes, unde nec spiritus esset. Hinc invisibilem animam meam oculis corporis mei tam longe est ut me doleat, quòd immo eam
E iisdem esse invisibilem necessarium esse cognosco; sicut cogitationes sunt & discursus, quos ipsa in se elicit, & perficit, me certè non ignorante. Hinc & illud est quòd de anima mea interrogatus quid sit, substantiam creatam spiritalem, rationabilem, vivam & cogitantem laetus respondeo; quam in me viventem & cogitantem certissimè scio; nihil horum per corporis sensus prospiciens, vitae effectibus exceptis; non enim credo hominem mecum colloquentem vivere, ut ait Augustinus, sed video. Quomodo autem anima vivat & cogitet, si quaeratur; ipsam iis viribus cogitare & vivere cognosco, quibus ab eo donata est
F a quo est; qui melior se ipsâ est; nam si melior non esset, tanta largiri inferiori non posset. Hinc mutabilitatem & principium de eo jam nego, a quo anima est, quia eam mutabilem & creatam nosco; neque eâ melior esset si ita esset: & sic Spiritum perfectissimum incommutabilem, aeternum, & creantem naturaliter jam intelligo. Quomodo hunc videam si quaeratur; iis illum oculis animam meam videre fateor, quibus seipsam videt; qui porrò si cordis interioris sunt, jam remanet, aliunde quàm cordis oculis videri non posse principium illud a quo anima est; & proindè

indè tam inviſibiliter illud videri a ſola anima opus eſſe, A
quàm inviſibiliter ſe ipſam anima videt.

Quae meditatio mea ſi alicujus valoris eſt, jam Deum non aliter videri poſſe quàm mente, patet; ſi nullius roboris inveniatur, non inde meliorum infirmatur auctoritas & fides, quorum ſenſus ſequi in hoc propoſitum eſt.

Quod igitur uno loco & Angelis & hominibus, & omni creaturae ſemper inviſibilis Deus dicitur a S. Hieronymo, referatur oportet ad eam plenitudinem divinitatis, quam Sanctus Ambroſius, nec mente nec oculis a quoquam comprehendi poſſe definit: Quod autem alio loco viſibilem Deum iis, qui cor mundum habent ambo promittunt, ad B
eam illuminationem refertur, qua *Unigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarravit*. His namque verbis Evangeliſtae, ut notat Ambroſius loco citato, mentium magis quam oculorum viſio declaratur. „ Species enim videtur, „ virtus verò narratur: illa oculis, haec mente compre- „ henditur. „ Ideoque Sancti, qui in hac vita fideliter Deum exquiſierunt, ejuſque faciem videre concupierunt, ſtatim a morte Deo impleti, & Sapientiâ ejus, quae eſt Unigenitus ejus, imbuti; ab hac eâdem in altiſſimam Dei & veritatis contemplationem inducuntur, ejus virtutem cognoſcentes narratam, atque revelatam, quam hîc adora- C
vere & credidere velatam.

Hanc exponere homini non licet; & proinde acutiſſimum illud ingenium Auguſtinus, de hac dixit „ Servatur „ ergo nobis neſcio quod dulce ſpectaculum: & ſi cogitari „ ex aliqua parte in aenigmate & per ſpeculum poteſt, „ dici tamen nullo modo poteſt pulcritudo illius dulcedi- „ nis, quam ſervat Deus timentibus ſe, perficit autem „ ſperantibus in ſe. Illuc parantur corda noſtra in omni- „ bus vitae hujus tribulationibus & tentationibus. (Enarr. in Pſalmum 36. Serm. 2. n. 8.) Hac eâdem beatè vivunt

Angeli

D Angeli in illa Sancta Civitate, quae „ si quaeratur unde sit;
„ Deus eam condidit: si unde sit sapiens; a Deo illumina-
„ tur: si unde sit felix; Deo fruitur: subsistens modifica-
„ tur, contemplans illustratur, inhaerens jucundatur; est,
„ videt, amat; in aeternitate Dei viget, in veritate Dei
„ lucet, in bonitate Dei gaudet. (de Civit. Dei l. 11. c.
24.) Qua si visione Angeli & ceteri Regni coelorum
cives orbarentur, inopes illicò fierent, quamvis bonam haberent voluntatem, ut praeclarè de illis docet Sanctus Pater, dicens: „ Et cùm id egit eorum voluntas bona, ut non
„ ad se ipsos, qui minus erant, sed ad illum, qui summè
E „ est, converterentur, eique adhaerentes magis essent,
„ ejusque participatione sapienter beatèque viverent; quid
„ aliud ostenditur, nisi voluntatem quamlibet bonam, ino-
„ pem fuisse in solo desiderio remansuram; nisi ille, qui
„ bonam naturam ex nihilo sui capacem fecerat, ex se ipsò
„ faceret implendo meliorem, prius faciens excitando avi-
„ diorem? (de Civit. Dei l. 12. c. 9. n. 1.)

Proinde si visio Dei, qua Angeli fruuntur, & beatè vivunt, ad ejus visionis modum referri debet, quae invisibiliter fit, & qua Deus invisibilis invisibiliter videtur, idest solà mente ab eodem Deo ipsi praesente illuminatà:
F porrò Sancti, corpore expertes, jam aequales Angelis sunt, quia aequaliter cum eis Deum invisibilem solà mente & mundo corde intuentur, eoque fruuntur. Et sicuti de illis verum est quòd *vident Faciem Patris*; qui autem *videt Patrem, videt & Filium*; & qui Patrem & Filium videt, videt & Spiritum-sanctum, quia in differentia personarum Deus unus est, ut abundè a Sacrosancto Concilio Florentino definitur: ita & de Sanctis verificatur quòd facie ad faciem videant, dum quomodo Angeli vident.

Quae quidem facies in Trinitate taliter intelligenda est, ut nullis corporis lineamentis definita credatur; sicuti neque

neque cùm alas Deo scriptura tribuit, eas corporaliter intelligimus, sed de protectione sua spiritaliter erudimur: A
Unde Hieronymus n. 14. ejusdem epistolae, textum explicans Psalmi 93. *Qui plantavit aurem, non audiet, aut qui finxit oculum, non considerat*, dicebat „ Iste locus adversus eos maximè facit, qui Anthropomorphitae sunt, qui dicunt „ Deum habere membra, quae etiam nos habemus: verbi „ caussa dicitur Deus habere oculos, quia oculi Domini „ respiciunt omnia, manus Domini facit omnia. *Et audivit*, „ inquit, *Adam sonum pedum Domini deambulantis in paradiso*: „ haec simpliciter audiunt, & humanas imbecillitates ad „ Dei magnificentiam referunt. Ego autem dico, quòd B
„ Deus totus oculus est, totus manus est, totus pes est. „ Totus oculus est, quia omnia videt. Totus manus est, „ quia omnia operatur. Totus pes est, quia ubique est. „
Igitur si facies Patris nonnisi spiritaliter intelligi potest, neque aliter intelligitur facies Filii in ea substantia, qua aequalis est Patri, & eodem modo facies Spiritus-sancti: restat ut quidquid spiritale est a solo spiritu taliter conspiciatur, ut numquam oculis corporeis visibile fiat: ideoque Sancti Deum nunc videntes aequales jam Angelis sunt, quia eodem modo & nunc vident, & semper videbunt faciem Dei, quo & Angeli vident, & videbunt in saecula. C
Atque ita ea omnia Augustini loca explicanda sunt, quibus aequalitatem cum Angelis Sanctorum spiritibus tribuit ante judicii diem; quorum duo jam perpendimus supra. Capite enim X. pag. 136. verba Sancti Patris retulimus: „ Nam „ illa omnimoda in angelicam formam mutatio, quae post „ hanc vitam (praesentem intelligit, quam justi in hoc corpore quandoque morituri vivunt) promittitur, nullis „ verbis exponi potest. Rursus Capite XV. pag. 248. alia occurrunt verba ejusdem sententiae, & sunt: „ quo labore „ transacto, veniet regnum aeternum, veniet sine fine

feli-

D „ felicitas, veniet aequalitas Angelorum &c.

Sed quia & illud Augustinus toties praedicat, visuros nos faciem Dei cùm in Angelos profecerimus, idest aequales Angelis facti fuerimus, quod erit utique in resurrectione mortuorum: aliam aequalitatem jam expectandam cum Angelis a justis vitâ functis suspicari par est, nam in videndo invisibiliter Deo jam Angelos Sanctis aequales esse probavimus; aliam ergo faciem in Deo noscere debemus. Qui verò eamdem ad Fortunatianum epistolam attentè ac devotè meditabitur, quid etiam hinc dicendum sit inveniet.

Primùm enim notanda sunt verba Sancti Ambrosii, n.
E 6. laudatae epistolae, quibus, postquam Deum invisibilem dixit, Jesumque non corporalibus sed spiritalibus oculis videri, subdit: „ Meritò ergo se in corpore demonstravit, „ quoniam in divinitatis substantia non videtur. Vidimus „ Spiritum, sed in specie corporali: videamus & Patrem, „ sed quia videre non possumus, audiamus. „ Et paulò post: „ Audiamus, inquit Patrem; invisibilis enim Pater; „ sed & Filius invisibilis secundùm divinitatem; Deum „ enim nemo vidit umquam: cùm ergo Filius sit Deus, „ in eo utique quod Deus est Filius, non videtur. „ Quibus vigilantissimè admonemur esse naturam in Deo Uno
F & Trino, quae omnibus creaturis invisibilis sit; quae rursus, ut dictum est, juxta creaturae rationalis capacitatem invisibiliter videatur; quomodo cùm virtutem audimus narratam, eam intellectualiter & sincerè videmus. Esse item naturam in Unigenito Dei Filio secundâ Trinitatis persona, ipsoque Deo Jesu Christo Domino nostro, secundùm quam in corpore se demonstravit; unde ille idem Filius, qui secundùm Divinitatem invisibilis erat, secundùm misericorditer assumptam humanitatem visibilis factus est. Hanc autem ab iis solis negari, qui corpus Dominicum phantasma fuisse impiè contendebant, impietatem suam

veluti

veluti exemplo Angelorum sanare conantes; quos, cùm A
creaturae merè spiritales habeantur, in assumptis & phantasmaticis corporibus, hominibus apparuisse putabant. Quorum audaciam atque insipientiam ab initio novae Ecclesiae, etiam in hoc exemplo fortissimè confundit acutissimus Tertullianus, libro de Carne Christi. Huic item veritati firmandae illud succurrit, quod Baruch Propheta dixit (3. 38.) *Post haec autem in terris visus est, & cum hominibus conversatus est*. Et illud Job (19. 25.) *Scio quod Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum, & rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum meum. Quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius &c.* B
Quae si non ad hanc visibilem oculis corporeis naturam referantur, porrò desipuissent Sanctissimi atque doctissimi Ecclesiae Doctores, invisibilem Deum oculis corporeis tantâ constantiâ praedicando. Quae item si aliam visionem oculis cordis faciendam ab istis promissam denegarent, nescissent Prophetae dulcedinem Dei animabus in sanctitate ab hoc mundo decedentibus, paratam; quod asserere erroneum est, & eorum scripta passim refellunt.

Perpendenda secundò se offerunt illa Augustini verba, quibus Sancti Hieronymi intentionem detegit, ubi invisibilem Deum dixit, non hominibus modo, sed & Angelis C
& Potestatibus &c. Hîc enim Sanctus Pater addit „ Quibus invisibilis, nisi adspectibus corporalibus etiam coelestibus, sicut supra de Angelis & Potestatibus & Dominationibus dixit? quantò magis terrestribus? „ Sicuti igitur ostendendo quòd Sanctus Hieronymus non eis verbis visionem Dei invisibiliter faciendam a spiritibus mundis denegat, sed hanc corporalibus eorum adspectibus impervíam declarat, propositum caussae suae roborat a majori ad minus, ab Angelis scilicet ad homines in praesenti statu arguendo: ita quid inde diligentiores adjuvet proponit, ubi

D ubi non illud quaeratur, num Deus in ſubſtantia Dei ab oculis coporeis videri poſſit; ſed illud, num Deus in ſubſtantia hominis aſſumpta videri debeat & ab Angelis & ab hominibus ſanctis, & quando. Sicuti enim illam & Angelis & hominibus promittit, ſed non per oculos corporis; ſic aliâ indicat nunc frui Angelos per oculos corporis, qua non fruuntur Spiritus juſti corpore expertes; fruentur autem cùm in noviſſima reſurrectione Angelis Dei aequales facti, ad iſtam etiam corporalem viſionem exaltabuntur. Ideo differentia praeſens inter Angelos & Sanctos ea eſt; ut Angeli hominem Chriſtum, qui & Deus eſt videant etiam corporalibus adſpectibus, Sancti verò non ita videant, quia corpore
E carent; indeque aequalitas cum Angelis ad reſurrectionem corporum Sanctis reſervetur.

Cùm enim Divus Ambroſius omnibus creaturis inviſibilem Deum in ſubſtantia divinitatis dixiſſet; addens poſteà *meritò ſe in corpore demonſtravit*; omnibus item creaturis hanc viſionem promittit, quas inter & Angelos juſtè computamus. Angelis autem hanc exteriorem viſionem tunc tantùm conlatam, auctor eſt Divus Johannes Chryſoſtomus etiam a Tournely citatus, qui Hom. 14. in Johan. haec habet. „ Ex quo, inquit carnem induit, tunc viſus eſt ab
F „ Angelis: antea verò non ita videbatur, cùm ipſis quoque „ inviſibilis eſſet ſubſtantia.„ Quod confirmat ejuſdem Sancti Patris celebris diſcipulus Teodoretus Dialogo 1., qui dicitur Immutabilis, ſic ajens: „ Poſt incarnationem „ verò viſus eſt etiam Angelis, ſecundùm divinum Apo„ ſtolum, non in ſimilitudine gloriae, ſed vero ac vivo „ utens quaſi velamine, carnis integumento, *Manifeſtatus* „ *eſt enim*, inquit Apoſtolus *Deus in carne*„ Nec hoc ſolùm Apoſtolus dixit; ſed cùm dixiſſet (1. Timoth. 3. 16.) *Et ſine dubio magnum eſt pietatis ſacramentum, quod manifeſtatum eſt in carne, juſtificatum eſt in ſpiritu*, addidit vigilantiſſimè hanc ipſam

que-

quaestionem explicans, *apparuit Angelis*, unde non antea apparuisse Angelis cum laudato Chrysostomo intelligamus. A

Qui porrò Angeli si hac visione fruerentur secundùm spiritum, & non secundùm corpus; jam invisibiliter & solâ mente Deum etiam hominem viderent; qua item visione ex nunc in Verbo fruuntur etiam Sancti. Quam tamen si istis nunc denegatam dicamus, quamvis eâdem capaces sint, & ad resurrectionem corporum reservatam, ut aliqua differentia assignetur Angelos inter & homines justos: dico Sanctos Angelis neque tunc aequales fore. Quia isti Deum hominem secundùm solum spiritum etiam tunc videbunt, dum corpore careant, quo eum corporaliter apparentem corporalibus adspectibus extra se & in loci intervallo possint intueri; Sancti autem tunc per istius etiam corporis oculos videbunt. Quorum si alterutra visio perfectior demonstrari possit, imperfectiùs videbunt qui ad imperfectiorem visionem admittentur; atque ita numquam aequales Angelis Sancti erunt, quod tamen ex Evangelio in fine promittitur. B

A quibus omnibus, & multò pluribus, quas nunc omitto, ambagibus liberamur; si saltem hipotheticè etiam Angelis cum Augustino & aliis Patribus corpus tribuamus; quod imprudenter non fieri ea indicant, quae breviter innui; & plura alia seriò rem meditanti occurrent, quae per partes exponere hujus loci non est. Tunc enim clariùs intelligimus, in quo aequalitas cum Angelis ad diem resurrectionis promissa consistat: videbunt enim Sancti etiam corporalibus adspectibus Deum suum Christum Jesum Deum & hominem, quem modò Angeli oculis etiam corporeis intuentur, non item ceteri justi, quia corpore carent. Et Augustinus defenditur in plurimis illis locis, quibus faciem Dei nos non ante visuros promittit quàm Angelis aequales facti fuerimus in resurrectione carnis; hanc enim faciem, corporalem faciem intelligit, quae in Unigenito Dei Filio C

secun-

D secundùm humanam assumptam naturam certissimè est; quamque corporeis etiam oculis intuebuntur Sancti, sicut modò Angeli, unde nunc inaequales inter se, tunc autem aequales erunt.

Ex qua limitatione, si illa visio Dei, quae invisibiliter & ab Angelis & a Sanctis etiam nunc fit, exclusa censeatur usque ad judicii diem; jam Augustinus millenarius respectu retardatae gloriae Sanctorum, convincitur. Exclusam autem eam hinc non esse a Sancto Patre ea omnia probant, quae ex operibus suis commemoravimus etiam ante presbyteratum, ubi veritatis sectatores in hac vita, ad veritatis
E contemplationem statim post hanc vitam elevantur. Tum etiam quia visionem Dei Sanctis in sinu Abrahae collectis constantissimè tribuit ante Christum visibiliter in hac carne manifestatum. Tum demum ex iis, quae in fine oppositae epistolae ad Fortunatianum habet, ubi omnibus commemoratis, quae illum moverent, ne mutationem nostri corporis tantam futuram crederet, ut etiam ad invisibilia videnda elevaretur, addit n. 17. „ Si ergo hoc invenerit in„ quisitio diligentior tantam corporis futuram mutationem, „ ut possit videre invisibilia, non ut opinor, talis potentia „ corporis, menti auferet visionem ut exterior homo videre
F „ Deum tunc possit, non possit interior; quasi tantùm foris „ sit Deus ad hominem, & intus non sit in homine, cùm „ apertissimè scriptum sit, *ut sit Deus omnia in omnibus*; aut „ ita sit intus ille, qui sine ullis locorum spatiis ubique „ totus est, ut foris tantùm videri ab exteriori homine pos„ sit, intus autem ab interiori non possit. Quae si absur„ dissimè sentiuntur, magis enim Sancti pleni erunt Deo, „ non inanes intrinsecùs ab illo circumdabuntur extrinsecùs; „ nec caeci intrinsecùs, eum, quo pleni erunt, non vide„ bunt, & tantùm forinsecùs oculati, quo circumdabun„ tur, videbunt: restat ut interim de visione Dei secun-

dùm

„ dùm interiorem hominem certiſſimi ſimus. Si autem A
„ etiam corpus mirâ comutatione hoc valuerit, aliud acce-
„ det, non illud abſcedet.

„ Meliùs ergo illud affirmamus unde minimè dubita-
„ mus, quòd homo interior videbit Deum, qui modò ſolus
„ poteſt videre charitatem, quae cùm laudaretur, dictum
„ eſt *Deus charitas eſt*: ſolus poteſt videre pacem & ſan-
„ ctificationem, ſine qua nemo poteſt videre Deum.
„ Neque enim charitatem, pacem, ſanctificationem, & ſi
„ qua ſunt ſimilia, videt modò ullus oculus carnis; quae
„ tamen omnia jam videt quantum poteſt mentis oculus:
„ tantò puriùs quantò purior: ut ſine dubitatione Deum B
„ nos viſuros eſſe credamus; ſive inveniamus, ſive non
„ inveniamus quod de qualitate futuri corporis quaerimus,
„ cùm tamen corpus reſurrecturum & immortale atque
„ incorruptibile futurum non ambigamus, quoniam hinc
„ ſanctarum ſcripturarum ſententias apertiſſimas firmiſſi-
„ maſque retinemus. Si autem iſte frater quod de ſpiritali
„ corpore adhuc requiro, jam ſibi firmat eſſe certiſſimum,
„ niſi placidus audiero docentem, ita ut ille quoque pla-
„ cidus me audiat inquirentem; habebit unde jure ſuc-
„ cenſeat.

Illi autem fratri quid docendum reſervaretur ſi conſide- C
remus, ea occurrunt, quae veluti impoſſibilia ſibi videri Auguſtinus ſupra oſtenderat, corpus ſcilicet noſtrum ad tantam mutationem elevandum, ut etiam per iſtos oculos inviſibilia videret. Et ne hinc deduceretur, ergo creatura numquam videbit Deum, vigilantiſſimè probat quomodo & ii qui digni ſunt nunc videant, ſpiritu nimirum quo ſolo & charitatem intuentur. Quae quidem viſio in corporum reſurrectione ceſſare non poterit, quia nec tunc corpora ad charitatem intuendam ſpiritum juvare poterunt, donec quod ipſe adhuc requirit de futuro corpore, firmiſſimis

D rationibus non ostendatur, & donec, quod ego expressius addidi, etiam illud veluti multò facilius non probetur, corpus scilicet nostrum, animam, qua denuò vivificabitur, oculis corporeis esse visurum, quam modò certissimè non videt. Quod cùm numquam possit inveniri, remanet, ut iste frater, cui se veluti docendum committit Augustinus, tot rationes per modum dubitationis propositas maturè perscrutans; nec unde illas confundat inveniens, ad meliora & rectiora sentienda se converteret; firmâ scilicet visione manente, quae ab interiore homine invisibiliter fit, eâque oculis corporeis constantissimè denegatâ; aliam accedendam, quae etiam ab exteriore homine fiet, revela-E tionem scilicet, seu apparitionem apertam illius gloriosae humanitatis, qua Deus noster vestiri dignatus est, quamque suae Divinitati ita copulavit, ut rectissimè dicatur, Deum suum oculos nostrae carnis visuros, dum tamen solam humanitatis formam exterior oculus intuebitur. Quae igitur isti fratri apud se scrutanda Augustinus reliquit, ut inde doctior fieret, si & apud se Tournely meditatus pacatè fuisset, vel illud saltem, quod ego respondendum censui oppositis textibus respondisset, vel numquam quae reposuit scripsisset, veluti nimis infirma ad contundendam adversa-F riorum intentionem, inde Augustino millenariorum notam infligentium.

At si hinc scrupulus occurrebat, quia Angelicis creaturis corpus erat tribuendum; in hoc potius errasse Augustinum dicere poterat Doctor Sorbonicus; dum hoc veluti errore (in re, quae apud sobrios eruditionis caussam non eccedit) ipsi tributo, intolerabilem illum millenariorum abstulisset a Sancto Patre.

Priùs autem quàm opinionem Augustini condemnet de Angelorum corpore, omnia legat, quae de hac etiam quaestione conscripsit, & praecipuè epistolam ad Paulinum 95. aliàs

aliàs 250. n. 8., in qua sic inquit. „ Hinc oritur de Ange- A
„ lis quaestio, utrum habeant corpora suis officiis & con-
„ cursationibus congrua, an tantummodò spiritus sint? Si
„ enim habere dixerimus, occurrit nobis *Qui facit Angelos*
„ *suos spiritus*. Si autem non habere dixerimus, plus habet
„ scrupuli, quomodo scriptum sit, eos corporeis hominum
„ sensibus sine corpore praesentatos, hospitio susceptos,
„ pedes eis lotos, edentibus & bibentibus ministratum.
„ Facilius enim videri potest, sic esse spiritus Angelos di-
„ ctos, ut homines animas, sicut scriptum est cum Jacob
„ in Aegyptum tot animas descendisse (neque enim cor-
„ pora non habebant) quàm ut illa omnia sine corporibus
„ gesta credantur. Deindè certa quaedam in Apocalypsi B
„ Angeli statura definitur in ea mensura, quae nisi corpo-
„ rum esse non possit, ut quod hominibus apparuerit non
„ ad falsitatem, sed ad illam potestatem ac facilitatem spi-
„ ritualium corporum referatur. „

Quibus si tam aptè respondere se posse confidat Tournely, ut liberae opinionis fines excessisse Sanctum Patrem ostendere valeat; in hoc, non in illo errasse Augustinum majori laude dixisset. Quae ego ideo commemoranda duxi, ut ostenderem, eodem tempore, quo quisquam in hoc errorem Sancto Patri tribuere vellet, talia proferre etiam pro eo se debere sentiat, ut non supinè errasse Augustinum C apud infirmiores remaneat. Non enim aetate solummodò Augustini quaestio haec indecisa versabatur, sed multis etiam post eum saeculis de hac scripsit Divus Thomas: „
„ Dicendum, quòd sive Daemones habeant corpora sibi na-
„ turaliter unita, sive non habeant, hoc non multum re-
„ fert ad fidei Christianae doctrinam. Dicit enim Augu-
„ stinus l. 21. de Civit. Dei cap. 10. Sunt quaedam etiam
„ sua Daemonibus corpora, sicut doctis hominibus visum
„ est, ex isto aere crasso atque humido, cujus impulsus,

D „ flante vento, sentitur (In quaest. disput. qu. 16. art. 1. in corpore.)

Quamvis autem pateat ex Divi Thomae verbis, illud opinari posse de Angelis, quod de Daemonibus in hoc pronunciat, dum natura eadem in his vitiata persistit, quae in illis glorificata coruscat: attamen incongruum non erit addere, Divum Augustinum non malis modo, sed & bonis Angelis corpora tribuisse. Quaerens enim (Libro de Quaestionibus Octuaginta tribus, qu 47.), quomodo cogitationes hominum vicissim videndae sint juxta Evangelicam promissionem, ait: „ Conjectura itaque capienda est ex ea
E „ parte corporis nostri, quae plus habet lucis: quoniam „ angelica corpora qualia nos habituros speramus lucidissi„ ma atque aetherea esse credendum est: si ergo multi „ motus animi nostri nunc agnoscuntur in oculis, probabile „ est, quòd nullus motus animi latebit, cùm totum fuerit „ corpus aethereum, in cujus comparatione isti oculi caro „ sunt.„

Et quoniam usque nunc aliquid in hac re ab Ecclesia definitum non est; inde evenit, ut nostrâ etiam aetate vir clarissimus Ludovicus Muratorius hanc controversiam ad illius doctrinae censum revocaverit, in qua cuicumque sen-
F tire fas sit, quod veri videtur similius. Ultra enim jam laudatam auctoritatem Divi Thomae in suae opinionis subsidium stare fortasse viderat Augustini definitionem, quam in Enchiridio cap. 59. habemus. „ Itemque angeli quis ex„ plicet, inquit, cum qualibus corporibus apparuerint ho„ minibus, ut non solùm cernerentur, verum etiam tange„ rentur; & rursus non solida corpulentia, sed spiritali „ potentia quasdam visiones non oculis corporeis sed spiri„ talibus, vel mentibus ingerant, vel dicant aliquid non „ ad aurem forinsecùs, sed intus in animo hominis, etiam „ ipsi ibidem constituti: sicut scriptum est in Propheta-

rum

„ rum libro *Et dixit mihi angelus, qui loquebatur in me*: non A
„ enim ait qui loquebatur ad me, ſed in me. Vel appa
„ reant & in ſomnis & colloquantur more ſomniorum:
„ habemus quippe in Evangelio *Ecce Angelus Domini apparuit*
„ *illi in ſomnis dicens*. His enim modis velut indicant ſe an-
„ geli contrectabilia corpora non habere: faciuntque diffi-
„ cillimam quaeſtionem, quomodo Patres eis pedes lave-
„ rint, quomodo Jacob cum angelo tam ſolida contrectatio-
„ ne luctatus ſit. Cùm iſta quaeruntur, & ea ſicut poteſt
„ quiſque conjectat, non inutiliter exercentur ingenia, ſi
„ adhibeatur diſceptatio moderata, & abſit error opinan-
„ tium ſe ſcire quod neſciunt. Quid enim opus eſt ut haec B
„ atque hujuſmodi affirmentur vel negentur vel definian-
„ tur cum diſcrimine, quando ſine crimine neſciuntur. „

Hinc patet quaeſtionem de corpore Angelorum taliter ab Auguſtino inſpectam, ut cauſſam eruditionis non excederet; dum tot illorum actiones, quas in Scripturis legimus, aliquid nos de illis cogitare cogant, quo ipſae aliquatenus intelligantur, & quantum fas eſt explicentur. Quare ſi Sancto Patri in Evangelio legenti nos tunc futuros aequales Angelis Dei, cùm primaevis corporibus in reſurrectione veſtiemur, etiam hinc illud probabile viſum eſſet, quòd inaequalitas praeſens Angelos inter & animas Sanctorum C ex ratione corporis metienda ſit, quo nunc ſancti carent: non video quo jure ipſi ſuccenſeamus. Nam dato etiam illis corpore, adhuc ſpiritales creaturae rectè appellantur & ſunt, ſicut corpus Chriſti ſpiritale fideliter credimus; dum & nos, qui procul dubio eamdem iſtam carnem in reſurrectione reſumemus, ſpiritales ab Apoſtolo etiam ſecundùm corpus appellamur. Ideò ſi ſuſpicemur Angelos ab initio tali corpore donatos, quali juſti in reſurrectione donabuntur, nihil violens percipere cogimur; immo hac hypotheſi ad explicandas illorum corporeas cum hominibus

D actiones, & futuras Evangelicas repromissiones, miro modo adjuvamur.

Absit tamen me aliter sentientes culpare, quia aliter ab ipsis sentiebat Augustinus. Nec enim tanti valere brevem de hoc tractatum praesumo, ut a sua antiqua opinione hac licet antiquiore & aliis item Patribus probatâ, discedant. Sentiant igitur quod potius volunt. Sed mihi etiam textus Augustini, ubi de aequalitate futura Sanctorum ad Angelos loquitur, cum sua recta fide conciliaturo, dixisse impunè permittant, Sanctum Patrem, plus aequo si velint, huic sententiae inclinasse. Et quoniam ardore tantùm ingenii
E hoc Augustinum cogitasse doceri a quoquam aegrè concessissem, illud etiam velut consequens evadebat, ut haec opinio non omninò rationibus destituta ostenderetur, nec fidei Christianae injuriosa; ut in illud libentiùs lectores descendant, multò laudabiliùs scilicet hanc tribui Augustino, dum ita a millenariorum errore constantissimae Ecclesiasticae traditioni, & Scripturis nimis adverso, purgatur. Quam imputationem dum quisque a Sancto Patre totis viribus avertere cuperet, multò magis cupiet, cùm a tam parvo nisu ejus plenariam defensionem contra eos, qui illius verbis abutuntur, pendere cognoscet.

F Quare cùm constet Sermonem CCLIX. immeritò Divi Augustini scriptis insertum, quandoquidem sensum habeat intrinsecum, quo ejus fideli & constanti doctrinae macula redundet: proposito insuper modo, quo Sanctus Pater rectè defendi imposterum possit in aliis, quae ex suis genuinis operibus contra ipsum proferuntur: cùm demum ostensum sit, (si interim aliquem nevum in Augustiniana doctrina quisquam detegere se valere arbitretur), tolerabiliùs dici, Sanctum Patrem in tribuenda beatitate Sanctis in sinu Abrahae collectis ante Christi descensum in inferos; & in corporibus aptandis Angelicis creaturis plus aequo.

aequo inclinasse: gratiis Deo peractis, & Sanctissimo Magistro meo, cujus intercessioni acceptum refero quidquid in his scriptis sapientûm indulgentiâ dignum fortasse invenietur, huic operi finis imponatur. Utinam, sicut non temerè, ita nec frustra a verè magno Augustini vindice titulum mutuaverim; & rei dignitati utilitatique ut par est consuluerim. Demùm ut inde desinam unde semper incipere gloriosum est, numquam satis laudati Doctoris Ecclesiae Maximi verbis concludo (cap. ultimo de Civit. Dei) rogans, ut „ Quibus parum vel quibus nimium est, mihi ignoscant; „ quibus autem satis est, non mihi, sed Deo gratias con„ gratulantes agant. Amen.



INDEX RERUM.

A

actionem

E

F

Gen-

Psal-

Q

R

S

V

FINIS.




Restauro del Libro
Badia
di
Cava

